CONSTITUTIONES CLERICORUM REGULARIUM S. MAIOLI PAPIAE CONGREGATIONIS...

Somaschi, Serafino : da#Gesù Maria

CONSTITVTIONES CLERICORVM REGVLARIVM

S. MAIOLI PAPIAE

CONGREGATIONIS SOMASCHAE

ET DOCTRINAE CHRISTIANAE in Gallia.

Quatuor Libris distinctæ.

QVICVMQVE HANC REGVLAM SECVTI FVERINT PAX SVPER ILLOS, ET MISERICORDIA.
ad Gal. VI.

ROMAE,

Ex TYPOGRAPHIA Andreæ Phæi.

M. DC. XXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Apostolici.

A. Episc. Hieracen. Vicesg.

Imprimatur;

Fr. Antoninus Phoebæus Magister, & Socius Reuerendiss. P. F. Nicolai Rodulphii Sac. Pal. Apost. Mag

VRBANVS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

SACROSANCTVM Apoſtolatus officium humilitati noſtræ per ineffabilem diuinæ ſapientiæ prouidentiam cõmiſſum iugiter Nos admonet, vt inter grauiſſimas, multiplicesſque Apoſtolicæ ſeruitutis curas, illam peculiari ſtudio amplectamur, per quam Chriſti fi-

deles sub suaui religionis iugo virtutum Domino famulantes sub certis, & prouidè ordinatis statutis, atque constitutionibus in sanctitate, & iustitia, felicioribus in dies proficiant incrementis, ac proinde ijs, quæ propterea statutà, & ordinata sunt, vt ab omnibus ad quos spectat inuiolabiliter obseruentur, perpetuaque roboris firmitate subsistant, Apostolicę confirmationis patrocinio communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire; Sanè dilectus filius Ioannes Antonius Palinus Procurator Generalis Congregationis Somaschæ, aliàs Sancti Maioli Papieñ, & Doctrinæ Christianæ Regni Franciæ suo, & dictæ Congregationis nomine nobis nuper exponi fecit, quod pro felici, & prospero eiusdem Congregationis regimine, atque gubernio, nonnullæ Constitutiones diuersis temporibus factæ, nouissimè verò per Venerabiles fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotijs Regularium præpositos recognitæ, & in vnum volumen compilatæ fuerunt tenoris subsequentis, Videlicet.

INDEX
CAPITVM.

De gra-

Libri Secundi.

De ijs

De ijs quæ ſpectant ad perſonarum; & domorum gubernationem.

De Culpis,

Libri Quarti ;

FINIS.

LIBER PRIMVS
DE CONGREGATIONIS FINE, institutis, & personarum varietate.

C A P. I.

CLERICORVM Regularium humilem hanc Congregationem Pater Hieronymus Aemilianus B. recordationis patricius Venetus in Dei Ecclesia, diuino afflante numine, strenuam, quæ Christo militaret, veluti aciem excitauit anno salutis humanæ MDXXVIII. Huic à Somascha exiguo pago, vbi primùm illius fundamenta sunt iacta, nomen est.

Eum autem finē ardentissimus ille noster parens sibi, & suis commilitonibus propositum esse voluit, vt contemplatricem vitam simul cum actuosa coniungerent; maximè verò proximo adiuuando, quibuscúmque pijs diuinæ charitatis operibus possent, feruentissimè consulerent. Quò factum, vt priscis illis temporibus operum, & pauperum Patres primùm nostri vulgò nuncuparentur. Itaque varia, eademque in Ecclesia Dei admodum vtilia charitatis, ac pietatis plena instituta summorum Pontificum assensu à prima vsque origine complexa est. Nam ante omnia eorum, qui fortunis destituti, & parentibus orbati orphani appellantur, curam tum in ijs, quæ ad animæ, tum in ijs, quæ ad corporis cultum pertinent, suscipit.

Deinde adoleſcentes, & in Seminarijs ex ſacri Concilij Tridentini decreto inſtitutis, & in publicis Gymnaſijs, & in nobilium Collegijs, vel Academijs, ad Chriſtianam pietatem, doctrinarumque ſtudia excolere nititur.

Poſtremò ne, dum alienæ ſaluti inuigilat, propriæ indormire videatur, clauſtralia Collegia, veluti propria domicilia tanquam palæſtras habet, vbi milites ſui ab omni rerum, & negotiorum cura vacui, & liberi, pijs vitæ contemplatricis exercitationibus, vni Deo addicti, ad ſpiritualem ſe ſe pugnam, & profectum inſtruunt, maioraquè in dies ad proximorum etiam ſalutem ſubſidia deriuare contendunt. Nam & Sacramentis miniſtrandis, & Miſſarum ſacrificijs celebrandis, & ſacris concionibus, lectionibuſque habendis, atque alijs pijs operibus exercendis Chriſtiano populo prodeſſe conatur, præcipuè verò fidelibus in doctrina Chriſtiana erudiendis: ideoque Paulus Quintus fel. record. Pontifex Maximus cum Congregatione noſtra vnionem fecit Patrum, quos vocant Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, vbi peculiari ſtudio Patres illi publicè in vijs, plateis, Eccleſijs in hoc opus incumbunt, vt nos quoque in Italia præſtamus.

Omnium autem, ex quibus vniuerſa hæc Congregatio conſtat, duæ ſunt quaſi claſſes, altera Sacerdotum, & Clericorum: altera eorum, qui ad ſeruiendum deſtinati Laici profeſſi, vel Aggregati nuncupantur. Ceterum communis eſt noſtra viuendi ratio, & eiuſmodi, vt non difficile ſit cuilibet eam complecti, quippe quæ nec magnam auſteritatem, neque ſeueriorem corporis afflictationem inducat: ſed per veram humilitatem, perfectam obedientiam, abnegationem, abdicationemque propriæ voluntatis in via Chriſti Domini noſtros ad brauium perfectionis perducat. Quamobrem cum primùm fructuoſis Chriſti Domini Eccleſiæ incrementis cœpit adoleſcere, eam ſanctiſſimus Pontifex

tifex

tifex Pius Quintus anno ſalutis noſtrę M D L X V I I I. octauo Idus Decembris, Pontificatus anno tertio in Religionum numerum cooptauit, & ſub regula Sancti Patris Auguſtini repoſuit. Tum ſequens annus ſexageſimus nonus, nuncupatis à primis noſtris Patribus ſolemni ritu profeſſionis votis, tertio Kal. Maij, Sancto Petro Martyri, & Catharinæ Senenſi ſacro die, Deo bonorum omnium auctore feliciter annuente, felix ac fauſtus natalis illuxit Congregationi. Quam ceteri deinde ſummi Pontifices, quotieſcumque tulit occaſio, auctoritate ſua comprobarunt, & confirmarunt, nec non gratijs, ac priuilegijs quamplurimis exornarunt.

De legitima Capituli Generalis conuocatione, & de ratione eiuſdem celebrandi.

C A P. I I.

Quoniam ſingularia quicquid habent boni, & quòd ſint, & quòd conſeruentur, cauſis vniuerſalibus ferunt acceptum, ideo ab ipſo Congregationis noſtræ Capitulo Generali, à quo cetera omnia, quæ ad bonum, & rectum regimen pertinent, quaſi formam, & ſubſiſtentiam capiunt, initium ſumere operæpretium erit.

Capitulum igitur Generale ſiue à Præpoſito Generali, ſiue ab alio id iuris, & facultatis obtinente publicis impreſſis literis, & ad locorum Superiores omnes in Italia, ad Prouincialem, vel Prouinciales, ſi plures eſſe contigerit extra Italiam, miſſis indicendum erit, & hac ratione Vocales omnes legitimè vocati intelligentur. Ad illud ſinguli ijdem conuenire ſtudebunt. Si verò ſtatuto tempore non

omnes aduenisse compertum fuerit, illi qui præsentes e-runt; dummodò antea absentes legitimè, vt dictum est, vocati fuerint, totum Capitulum repræsentent, & quicquid ab eis in eo peractum fuerit, tanquam ab omnibus factum nemo impugnare audeat.

Ad Capitulum Generale nullus accedet, nisi Vocales, & Socij, & si qui disputationis, aut concionis gratiâ à Præposito Generali accersentur.

Quilibet tam Vocalis, quàm Socius die Dominico, quo inchoabuntur Comitia, Pręposito Generali pecunias, vel earum notam fideliter tradere teneatur, nec aliquid donare, emere, aut cum alio permutare possit, durantibus Comitijs, sine Præpositi Generalis licentia, sub pœna proprietatis ipso facto incurrenda, sancita in nostris Constitutionibus.

Consiliarij, & Cancellarius vnà cum Præposito Generali feria quinta, Vocales, & Socij Sabbato præcedente eumdem Dominicum diem, aderunt omnino. Eorum vnusquisque rectà, si fieri possit, via in accessu, & recessu proficiscetur. Prępositus Collegij, vbi Comitia habebuntur, vnà cum altero ex Consiliarijs duos, seu etiam plures Sacerdotes Sacrario, & Missis dicendis præficiet: Ianitori socium alterum adiunget: alijs cibariorum curam demandabit: Patribus aduenturis cubicula constituet, affixis præ foribus eorum nominibus, quibus destinata sint: Laicis, & Clericis eiusdem familiæ iniungetur, vt Patribus aduenientibus perhumaniter seruiant, pedes abluant, cubilia quotidie sternant, & alia huiusmodi munia, magna cum charitate, & humilitate impendant.

Præpositus Generalis quatuor ex Vocalibus ad confessiones Vocalium, & Sociorum audiendas nominabit: vnum aut alterum monitorem, qui curet ad præscriptum Constitutionum omnia fieri, & ceremonijs præsit: vnum, qui

horas

noras præſcriptas cuiuſque actionis ineundæ indicet; duos ex collegialibus, qui Capituli ianitores ſint: indicem, in quo prædictorum, & aliorum officialium nomina deſcripta ſint, manu propria ſubſcriptum Capituli valuis affigi iubebit.

Dominico die, quo erit Comitiorum initium, Miſſam de Spiritu ſancto ſolemni ritu celebrabit idem Præpoſitus Generalis, vel ex primoribus quiſpiam alius, cui interecrunt cuncti Vocales, & Socij in re ſacra facienda non occupati: ante vel poſt Miſſam concio habeatur, & orationi, ac ſacrificijs deuotè peragendis eo ipſo mane vacabunt vniuerſi.

Eodem die duabus poſt prandium horis tintinnabulo de more pulſato Præpoſitus Generalis, ceteriq. Vocales, & quicumque in eodem Collegio quauis ex cauſa aderunt, ad Chorum conuenient, ibiq. ad ſemihoram orationi mentali operā dabunt pro felici Capituli Generalis progreſſu: qua elapſa, is cui temporis cura demandata eſt, petita benedictione, ad nutum Præpoſiti Generalis Litanias Beatæ Virginis Mariæ inchoabit, quibus recitatis idem Præpoſitus Generalis, vel Vicarius, aut ijs abſentibus, qui maiori dignitate eſt inſignitus, proſequetur preces, prout infra.

Verſ. *Ora pro nobis ſancta* Dei *Genitrix*.

Reſp. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti*.

Verſ. *Domine exaudi orationem meam*.

Reſp. *Et clamor meus ad te veniat*.

Verſ. *Dominus vobiſcum*. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus. Defende quaſumus Domine, B. Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni aduerſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidijs. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Reſp. *Amen*.

Qui orandi modus à prandio, & veſpere toto Capituli

tempore

tempore idem prorsus erit.

Oratione absoluta, signo campanulę Vocales, & Socij ad ingrędiendum Comitium conuocentur, qui statim cum silentio ad illud se conferent, quod religioso ornatu apparatum esse debebit: quò vbi peruenerint, ante sanctissimam Iesu Christi Crucifixi imaginē mensę superpositam omnes flectant genua, & Præpositus Generalis subleuatis in Coelum oculis dicat,

Vers. *Adiutorium nostrum in nomine Domini,*

Resp. *Qui fecit Cœlum, & terram.*

Vers. *Benedicite.* Resp. *Deus.*

Vers. *Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam; & fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.* Resp. *Amen.*

Deinde fiat confessio generalis alternatim, & absolutio, vt fit in Choro ad Completorium.

Confiteor Deo omnipotenti, &c, Misereatur, &c. Indulgentiam, &c,

Tum Vicarius Generalis, vel eo absente, Vocalis professione antiquior Præpositum Generalem, vel si is nòn adsit, Primarium absoluat hac verborum formula.

Auctoritate omnipotentis Dei mihi licet indignissimo per Sedem Apostolicam virtute priuilegiorum Mendicātium, vel alio quouis titulo concessa, ego te absoluo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, interdicti, & quibussuis alijs sententijs, censuris, & poenis: & tecum super quauis irregularitate, & impedimento dispenso, quatenus possum, & tu indiges, ad hoc tantùm, vt quæcumque per te fient in Congregationibus præsentis Capituli habendis rata & firma sint. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Mox Præpositus Generalis reliquos absoluet his verbis.

Auctoritate Dei omnipotentis mihi licet indignissimo per Sedem Apostolicam virtute priuilegiorum Mendicantium,

el alio quouis titulo concessa, ego vos omnes hic congregatos, & etiam omnes alios, durante hoc Capitulo, nobiscum congregandos ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, interdicti, & à quibusuis aliis sententiis, censuris, & poenis absoluo, & cum iisdem super quauis irregularitate, & impedimento dispenso, quatenus possum, & vos, & illi indigetis, ad hoc tantùm, vt omnia, quæ in Congregationibus præsentis Capituli peragentur, rata, & firma sint. In nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Post hæc subijciet Hymnum, *Veni Creator Spiritus*, &c.

Vers. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*

Resp. *Et renouabis faciem terræ.*

Vers. *Cor mundum crea in me* Deus.

Resp. *Et spiritum rectum renoua in visceribus meis.*

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Vers. Dominus vobiscum. Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.*

Oremus. *Omnipotens sempiterne* Deus, *qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulos tuos, & super congregationes illis commissas spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.* Per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.*

His peractis sedeat suo quisque loco, vt in capite de ordine sedendi dicetur. Præpositus Generalis grauem aliquã, & pastoralem cohortationem rebus peragendis accommodatam habebit, simulq. ad Dei gloriam procurandam, ad pacẽ, & veram concordiam amplectendam, ad modestiam domi forisq. toto Comitiorum tempore obseruandam, ad incumbendum orationi omnes excitabit: monebit, ne quis

quis literas alicui dare; vel ab aliquo accipere audeat sine licentia, ne quis aliorum cubicula frequentet, nec ambitus suspicionem alijs ingerat, ne quis egrediatur è claustris sine benedictione, & assignato comite, ne prandere, cœnare, aut comedere extra commune triclinium, multo minus extra collegium aliquis præsumat: ad silentium statis horis, & inter discumbendum præsertim religiosè seruandum adhortabitur, & vt ad obedientias campanulæ signo prenotatas præsto sint omnes: tandem quisque iterũ moneatur resignare pecuniam, si non resignauerit.

Quoniam verò ad constituenda legitima Comitia plurimum refert non mediocrem diligentiam adhibere in prospiciendo, qui iure ad eligendum concurrere possint, & qui non item: idcirco Præpositus Generalis, vel eo absente, aut aliàs impedito, Vicarius indicet, vt si quis quempiam ex congregatis quoquo nomine suffragij iure priuatum nouerit, ad Capitulum referat priùs, quàm ad ea, quæ in Capitulo decernenda sunt, deueniatur, Cancellario legente sequentia verba. *Ego N. Cancellarius de mandato M. R. P. nostri Præpositi Generalis admoneo, & omnibus notum facio, si quis nouerit quempiam ex congregatis, aut congregandis quoquo nomine suffragii iure priuatum esse, ad Capitulũ referat, antequã ad ea, quæ in præsenti Capitulo sunt decernenda, deueniatur. In quor. fid. &c.* Si quæ propterea difficultates oriantur, Definitorij Patres pro suà prudentia, vel eas discutient, vel si res ita fuerint dubiæ, vt multum temporis requirant, admitti poterunt vniuersi, hac contestatione præmissa, quam Cancellarius voce elata, itaut ab omnibus exaudiri possit, omnium nomine recitabit.

Ego N. Congregationis Somaschæ, totiusq. Generalis Capituli Cancellarius omnium nomine, ac vice, protestor, ac moneo omnes, ac singulos, qui huic capitulo intersunt, vt si aliquis adest excommunicatus, suspensus, interdictus, aut

alia

lio quouis titulo inhabilis ad electionem tam actiuam, quàm passiuam, vel ad alia in Capitulo definienda secundum canonica instituta, priuilegia, & consuetudines, aut quacumque alia ratione, Capitulo illico exeat: quoniam alii nullo modo intendunt ius, & facultatem eligendi ipsi communicare, atque ita expressè protestantur, & de hac protestatione postulant per me Cancellarium prædictum fieri decretum. Insuper omnium nomine protestor, quòd si electiones faciendæ, vel aliqua ex ipsis ob aliquod vitium, defectum, vel ignorantiam iuris, aut facti, vel alio quouis prætextu nullæ declarentur (quod absit) in omni casu, nullo prorsus excluso, ius & potestas eligendi, aliaq. definiendi ad nos, & Capitulum pleno iure, & sine aliqua diminutione reuertatur. Et hanc protestationem volunt haberi pro repetita toties quoties opus fuerit, vel expedierit, & de dictis protestationibus pariter requirunt per me Cancellarium fieri decretum.

Qua præmissa contestatione omnes cuiusque generis defectus, quibus quoquo modo Capitulum vitiari, aut oppugnari possit, omnino sublati censeantur.

Tum Cancellarius nomina Vocalium, & Sociorum omnium tam absentium, qui scilicet ad dictam diem venire aut neglexerunt, aut non potuerunt, illorum literis, si quas habebit, publicè perlectis, quàm præsentium alta voce recitabit: ex quo Comitia legitimè congregata esse cognoscantur.

Post hæc accersendi erunt, qui in numerum Vocalium cooptati prima vice capitulare munus sunt edituri, qui oēs coram Præposito Generali, & Consiliarijs, flexis genibus professionem fidei emittent, & iurabunt in hanc formam.

Ego N. testem inuoco Deum, quòd ea omnia, quæ in Comitiis generalibus instantibus, & futuris agentur, quæ in totius Congregationis, aut personæ alterius quoquo modo præiudiciū vergere possint, sub sigillo secreti continebo.

Vbi Vocales religiosis congratulationibus à ceteris fuerint excepti, Socij sese obstringent iuramenti vinculo, omisso verbo, (*& futuris*)

Et statim Præpositus Generalis, necdum sigillo deposito, in medio Comitij ante Crucifixi imaginem summa cum animi humilitate, & corporis submissione proprias exteriores culpas Deo, & Patribus genuflexus sincerè confitebitur, omnibus detecto capite stantibus. Mox illo ad propriam sedem reuerso, idem Vocales omnes præstabunt & Socij, Cancellario interim singulorum culpas adnotante: deinde propria repetent loca.

Culparum confessione absoluta, tria legentur capita Cōstitutionum, scilicet, De electionibus in vniuersum: De ratione eligendi Pręposítum Generalem: & Qualis esse debeat. Quibus lectis Præpositus Generalis seriò omnes admoneat, vt sub sigillo secreti ea omnia diligentissimè custodiant, quæ in Comitijs tractabuntur, itaut nunquam dicere, vel alia quacumque ratione significare permissum sit, aliquem tali decisioni, decreto, aut electioni consensisse, aliquem dissensisse, aut quæ in electionibus acta fuerint, vel disputata, & similia. Tandem in posterum diem noui Præpositi Generalis creatio indicetur.

Singulis diebus mane, & à prandio Vocales in Comitium conuocabuntur, donec quęcumque ad Capitulum Generale spectant, sint peracta: ante cuius ingressum semper campanulæ signum præmitti debebit ab eo, cui à Præposito Generali fuerit demandatum. Definitorium postea cogetur, in quo obseruentur ea omnia, quæ Cap. de Definitorio eiusque munere traduntur.

Postremo loco Vocales rursus erunt conuocandi, & de alijs inter Vocales aggregandis agetur, tum si quid fortè in superioribus sessionibus prætermissum fuerit, si quid occurrerit definiendum, approbandum, siuè etiam reprobā

dum

dum à Capitulo Generali, id proponetur à Cancellario, & auditis primùm omnium ſententijs, ſtatim ſecretis ſuffragijs definietur. Tandem Præpoſitus Generalis breui cohortatione vniuerſos inflammabit ad animorum coniunctionē etiam in locorum diſiunctione inuicem, & præſertim cum capite ſeruandam, ad obedientiam promptè amplectendā, vt animo ſint in Congregationem noſtram bene propenſo, & charitatem in omnes exerceant: Tum Cancellarius loca cuilibet dumtaxat Vocalium deputata, ijſdem audientibus, alta voce denuntiabit.

His actis, dato campanulæ ſigno, in Eccleſiam ſe conferent Vocales, & Socij, & quicumque ex Noſtris in dicto Collegio adfuerint cantando *Te Deum laudamus &c.* ibiq. ianuis clauſis nomina Superiorum omnium, & ſubditorum à Cancellario perlegentur. Tum Præpoſitus Generalis Itinerarium incipiet, alij proſequentur. Eo dicto, & pacis oſculo inuicem de more dato, Comitia dimiſſa cenſeantur.

Ad locum ſibi ab obedientia deſtinatū quiſque, accepta prius à Præpoſito Generali benedictione, & patentibus literis, ſi fuerit Superior, proficiſcetur. Vnicuique diſceſſuro tempus itineris præfigatur, nec præterire illud liceat, ſeclusa infirmitatis occaſione.

Quinam Capituli Generalis Vocales ſint: quique ad illud conuenire debeant.

CAP. III.

CVM totius Congregationis vtilitas omnis à Generali Capitulo dependeat, quod totum illius ſuſtinet onus, in Vocalibus eligendis, & admittendis

maturâ opus erit consideratione, vt scilicet publicæ consulatur saluti, non priuato alicui commodo. Ea propter solùm eos adscribendos studebunt, qui vita, & moribus ceteros antecellant: quique prudentia, & consilio, & scientia valeant in rebus arduis consulere: qui item per aliquot annos fuerint in Religione probati; elapsumque fuerit ad minus sexennium post emissam professionem: quique ætatis suæ saltem trigesimum annum attigerint. Sciant verò in numerũ Vocalium neminem cooptandum, qui vel apostatauerit, vel qui in aliquo delicto fuerit deprehensus, vel de quo probabiliter dubitetur ea, quę in Comitijs tractantur, secretò minimè retenturum ex euidentibus iudicijs, qui denique sanctę inquisitionis iudicio pœnam aliquam dederit commissi delicti: sicut etiam si quis ex Patribus iam inter Vocales adscriptis aliquod prædictorum delictorum commisisse fuerit conuictus, hic ex numero Vocalium expungatur, neque vnquam rursus inter eosdem adscribatur.

Eligendorum Vocalium hic erit modus. Prępositus Generalis iubebit à Cancellario congregatos in Capitulo Patres præmoneri in sequenti sessione nouos Vocales creandos esse (id verò fiet, si in præterito triennio eorum aliqui decesserint, vel perpetuo impedimento detineantur) qui debeant suffici in locum eorum, qui desiderantur ad explendum numerum quadragenarium, quod si pręstandum erit, sessione sequenti legetur ante omnia ab eodem Cancellario totum hoc integrum caput. Postea tres Scrutatores ad vota colligenda assumantur per sortes, qui statim ad mensam accedent, Consiliarijs ad propria loca interim abeuntibus, Pater verò Generalis à proprio loco paululum se subducet, iubebitque Cancellarium alta voce efferre.

In nomine sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti vnusquisque vestrum accedat ad nominationem

&

& suffragia ferenda pro electione nouorum Vocalium præmisso iuramento.

Pater Generalis primus omnium iurabit in hęc verba.

Ego N. N. Præpositus Generalis Cler. Reg. Congreg. Somaschæ, & Doctrinæ Christianæ in Gallia; testem inuoco Deum, qui me iudicaturus est, quod in creatione nouorum Vocalium illos eligam, quos secundum veritatem conscientiæ meæ, pensatis circunstantiis, probiores, & magis idoneos iudicauero.

Idem fiet ab Electoribus omnibus, prius tamen à Scrutatoribus, qui addent solita verba; *& me fidelem in hoc Scrutatoris munere, ac sine dolo præstabo.*

Quo peracto Pater Generalis, tum Scrutatores, mox reliqui Vocales, professionis ordine seruato, ad mensam accedentes schedulam vnam tantummodo, in qua nomen, & cognomen vnius sit scriptum, iniicient in cadiscum mensæ impositum, Scrutatores schedulas extrahent, & numerabunt, in quibus si plures reperientur nominati, quàm sint nominantes, Scrutator professione senior Patres admonebit de errore, & schedulis abiectis iterum ad nominationem deuenietur; quòd si secunda vice idem irrepserit error, Pater Generalis præcepto sanctæ obedientiæ obstringet Electores, vt singuli vnum tantummodò nominent. Schedulis perlectis nominatos omnes describent Scrutatores, & pronuntiabunt, atque iterum professionis ordine seruato, omnium nomina rescribentur; quod si in suffragatione aliquis contingeret error, quoad professionis ordinem, electiones nihilominus sint validæ, neç ex ipsa nominatione ius vllum quoad electionem oriatur.

Suffragatio incipiet ab ordine professionis, & omnes nominati subijcientur calculis, nec interim pronuntiabitur à Scrutatoribus, quem suffragiorum numerum quisque tulerit: describent tamen singulorum nomina, & numerum

votorum, quem quisque obtinuerit : finita suffragatione pronuntiabuntur, qui omnium suffragijs fuerint electi, si qui erunt, & isti ceteris preferantur: similiter electi pronuntiabuntur; qui plura vota supra dimidium, & supra alios respectiuè fuerint sortiti, vsque ad supplementum numeri quadragenarij inclusiuè; Quòd si inter plura vota habentes aliqui reperientur pares numero, & adhuc non esset expletus numerus quadragenarius, tunc ij professionis ordine seruato subdantur calculis, & cui illorum plura deinde suffragia, vt supra, cesserint, is censeatur electus: verùm si in ista suffragatione adhuc pares essent, senior professione pronuntietur electus, & inter æquales professione senior ętate.

Quod si casus ferat, vt aliqua difficultas, seu controuersia, quod in huiusmodi negotijs interdum euenire solet, oboriatur; Capitulum Generale cum maiori votorum numero rem totam definiet, & ceteri acquiescent.

Si ex electis aliqui præsentes essent in illo Collegio, electionibus publicatis, aduocentur in Capitulum, & ſętuatis quæ supra sancita sunt, recipiantur.

Si verò in illa Ciuitate sunt, illorum absentia nihil officiat rebus tunc peragendis.

Numerus eorum, qui Capitulo Generali interesse debebunt cum vtraque voce, nullo modo excedat numerum quadragenarium: liberum tamen sit eidem Capitulo temporis progressu, si Congregatio nostra; quod Deo fauente speramus, maius incrementum capiet, prædictum numerum augere parcè tamen, & moderatè, & nonnisi cum duabus votorum partibus id decernatur.

Vt autem clariùs innotescat Electoribus, quænam scientia, prudentia, seu consilium requiratur in ijs, qui tempore electionis nouorum Vocalium proponi poterunt, quò inter Vocales adscripti rebus in arduis consulere possint, & vt strenuè laborantes in vinea Domini dignis afficiantur

præ-

præmijs: in posterum nullus, vel proponatur, vel adscribatur in numerum Vocalium, nisi vel per decem annos methodicè scientias speculatiuas docuerit, vel Concionibus, aut lectionibus cum animarum fructu, & Congregationis laude per annos decem operam dederit; vel per annos duodecim, seu rhetoricam, seu literas humaniores fructuosè edocuerit; vel in aliquo ex nostris Collegijs disciplinæ regularis amantissimus in Sacramentorum administratione laudabiliter se se gesserit per annos quindecim, dummodo in conscientiæ casibus multum sit versatus; vel qui per annos decem in instruendis Nouitijs tàm primi, quàm secundi nouitiatus; siue professorij, Congregationi inseruierit, vel demum qui egregijs operibus componendis incubuerit, vel qui à secretis adm. Reuer. Patri nostro Generali fideliter, ac diligenter per annos duodecim adfuerit.

Prædictarum autem qualitatum, & laborum perfunctorum vt supra attestationes debitæ factæ à Superioribus, & Visitatoribus cùm eorum iuramento deferentur ad singula Capitula Generalia, vt describantur in libro peculiari asseruando in Collegio S. Maioli, qui ad Capitulum deferetur, vt à Cancellario eæ omnes legi possint, antequam ad singulorum suffragationem deueniatur.

Verùm quia contingere potest aliquem non per statuta hæc temporis spatia cœptum munus continuare, interruptio meritis alicuius non officiat; sicut nec si quis diuersis ex prædictis muneribus obeundis totum præfixum tempus respectiuè consumpserit, hac prærogatiua erit indignus, quod totum iudicio eorumdem Patrum remittatur, qui personarum, & laborum habita ratione, gradus, & honores cum summa æquitate benemerentibus impertient, vt ad vitæ, & morum integritatem, ac bonarum artium, & regularis disciplinę studiũ, & obseruantiã omnes excitentur.

His nisi seruatis legibus in numero Vocalium Capituli

Gene-

Generalis nemo vnquam, vel esse censeatur, vel sibi iuris esse aliquid arbitretur.

Prouincialis item Galliæ, & illius Socius, quem Prouincia eadem elegerit, cum vtroq; suffragio Capitulo Generali intererunt, nec se Comitio subducēt, nisi dimissis Comitijs, licet in Prouincialis locum alius etiam absens esset subrogatus.

Præter hos Vocales ad Generalia Comitia accedent Socij, seu Discreti ex Italiæ locis vt infra eligendi, qui voce tantum actiua gaudentes in omnibus maiorum dignitatū, seu officialium, videlicet eorum, qui totū Definitorium constituunt, Prouincialis etiam Galliæ, & Scrutatorū electionibus suffragium ferent: illis autem factis Capitulo egredientur, nec aliarum rerum tractationi, aut definitioni adesse poterunt. Hi octo numero erunt, donec Capitulo Generali pro temporum, & locorum varietate aliud statuere visum fuerit.

Socij seu Discreti munere nemo fungi valeat, qui ętatis trigesimum tertium, professionis decimum annum non compleuerit, & qui legitimis natalibus non fuerit ortus, nisi legitimam dispensationem super hoc impedimento obtinuerit: qui ab obedientia adeò se subtraxerit, vt extra claustra, nulla habita facultate, ad mensem vixerit, aut graue aliquod, atque enorme delictum perpetrasse conuictus, vel denique sanctæ Inquisitionis iudicio, ac pœna canonica mulctatus fuerit.

Vocalis Capituli Generalis nullo modo in Socium eligi possit.

Socios eligendi ratio hæc erit. Superioris cuiusque domus ad Socium eligendum destinatæ, vel eo impedito Vicesuperioris partes erunt Conuentuale Capitulum congregare, idque à festo Sancti Lucæ Euangelistæ die, videlicet XVIII. Mensis Octobris, post euulgatam indictionem

Capi-

Capituli Generalis anno proximè sequenti celebrandi (nisi casus aliquis inopinatus aliud tempus requireret statuendum cum voto Consiliariorum ab eo, qui Capitulum indicet) vsque ad vigesimam quintam diem eiusdem mensis inclusiuè, non prius, neque postea. Superior diem statuet ad Socium eligendum, & omnibus qui eidem electioni interesse debebunt, per literas significabit, & nisi omnes conuenerint, electionem differat vsque ad vltimam diem, quo tempore nisi aduenerint, electio nihilominus fiat, nec absentia alicuius, aut mora vllo pacto eam impediat, aut vitiet. Superiores tamen prospiciant, quantum fieri poterit, ne electio in vltimam diem differatur, & si rationabili ex causa differenda esset, vt inchoetur matutino tempore vltimi diei.

Huic Capitulo intererunt omnes, & singuli professi sacris ordinibus initiati, dummodo suffragij ius habeant, tam in assignata domo, quàm alibi intra Ciuitatem eamdem, vel extra ad sex milliaria commorantes. Pręter hos accedent Procuratores, si qui erunt missi à locis subordinatis Domui electionis, ad præscriptum impressi edicti, cuius exemplar ad calcem Constitutionum adnotabitur.

Scrutatores tres in electione Sociorum eligentur per vota secreta: colligent verò schedulas, & vota in Scrutatorum electione Superior, & duo professione maiores ex Electoribus ipsis.

Electores singuli singulas pagellas habeant eodem charactere conscriptas, in quibus eorum locorum, quę ad huiusmodi electionem concurrere possunt, Vocalium nomina, & cognomina sint adnotata, eorum videlicet, qui eas conditiones habuerint, quæ in Breui super hoc edito continentur. Tum loci Superior, mox Scrutatores, deinde reliqui, seruato professionis ordine, præstito prius iuramento de non eligendo se ipsum, sed probiorem, & magis idoneum

ſchedulam à ſe electi, provt infra de electionibus Capituli Generalis præſcribitur, in cadiſcum menſæ impoſitum inijcient. In quem plura ſuffragia conſenſerint ſupra dimidium, is electus declarabitur. Quòd ſi nullus debitum ſuffragiorum numerum tulerit, calculis iuxta profeſſionis ordinem ſupponentur omnes in ſchedulis nominati, & qui plures calculos ſupra dimidium habere comperietur, Socius ille pronuntiabitur.

Nemo verò ſuffragij paſſiui iure in Sociorum electione gaudebit, qui non ſit in numero earum familiarum, quæ ad eum eligendum Decreti præſcripto conueniunt.

Quòd ſi alicui alienæ familiæ diuturnis, & publicis negotijs ab obedientia Superiorum auctoritate ſibi impoſitis detento, eo loco adeſſe contigerit, vbi Socij electio fiet, is ſuffragij quodcumque ius in ea domo obtineat.

Abſens cum obedientia ex cauſa publici negotij à noſtris domibus eo tempore, quo fieri debet electio Sociorum, concurrat per Procuratorem eligendum ex gremio illius Capituli.

Viſitatores, & Prouiſitatores in vno tantum loco ſuæ Prouinciæ ad Socij electionem concurrant.

Pater Generalis ferat ſuffragium in quocumque Collegio, Secretarius illius in vno loco tantum.

Qui in vna domo ſuffragium tulit, etiam ſi ad aliam tranſmigret cum obedientia, Socij tamen electioni non interſit.

Qui in locis vltra ſex millia paſſuum diſtantibus ab eo, vbi Socius eligendus erit, habitabunt, ij per Procuratores electos iuxta formam in literis indictionis Capituli Generalis præſcribendam conuenient ad electionem.

Qui Procuratorio nomine ſuffragium ferent, literas procurationis fidẽ facientes à Superiore loci, vbi electio Socij peragenda erit, non niſi electionis tempore aperiendas tradent,

dent, & ſedebunt tanquam ex familia, habita profeſſionis ratione, neque eorum aliquis duplici, ſed vnico tantùm ſuffragio vtetur.

In dubijs circa electionem Socij, quæ occurrere poſſunt tàm in ipſa electione, quàm ante vel poſt, Præpoſitus Generalis cum Conſiliarijs, vel Aſſiſtentibus pro ſua prudentia decernat, & caueatur, ne fiat ſuppletio ſuffragiorum. Idem in alijs difficultatibus, quæ poſſunt ſuboriri in huiuſmodi electionibus, ſtatutum ſit, cui omnes acquieſcere debebunt.

Loca quæ ad Socium eligendum quacumque ratione præſcripta ſunt, ad viaticum Socio erogandum, quantum pecuniæ ſatis erit, ſingula pro rata conferent. Locorum partitio pro Socijs eligendis, & in quibus facienda ſit electio, in eo Definitorio præſcribetur, quod Capitulum Generale immediate præcedet. Si Definitorium id non præſtiterit, Præpoſitus Generalis, vel eo grauiter ægrotante, demortuo, vel impedito, Vicarius Generalis cum duobus Definitorij Patribus ſuppleat, & quicquid in hac locorum diſtributione, & aſſignatione decretum fuerit, impugnare nemo audeat.

Si contingat aliquem electum in Socium ad Capitulum accedere non poſſe, re per literas Præpoſito Generali ſignificata, detur Electoribus facultas alium eligendi, ſi id fieri commodè poterit, vel nullus adueniet ad iudicium Præpoſiti Generalis.

Qui verò in Socios electi fuerint, ij priuſquam Comitium ingrediantur, ſuæ electionis teſtes literas à Cancellario loci, vbi electio facta fuerit, ſcriptas, & ſigillo munitas, Præpoſito Generali, & Conſiliarijs exhibebunt. Horum partes erunt diligenter examinare, ſint ne huiuſmodi literę fide dignæ, & an Socij vlla ex præſcriptis conditionibus careant, & vbi defectum animaduerterint, eos à Sociorum

functione reijcient, eoque casu tota, quæ illis competebat, eligendi facultas, ad Capitulum Generale ipso iure, & facto translata censeatur: caueatur tamen ne fiat supplementum suffragiorum.

De tempore, ac loco Capituli Generalis, & precibus pro eo fundendis.

CAP. IV.

Capitulum Generale tertio quoque anno, vel quoties nouum Generalem eligere oportebit, Dominica tertia post festum Paschatis Resurrectionis celebrabitur, nisi ingens bellum, pestis, vel maxima generalisque victus inopia aliter expedire docuerit iudicio Præpositi Generalis & Definitorij, quod per literas significabitur, & eo casu prorogatæ censeantur omnes Dignitates vsque ad nouam electionem, quæ fiet, cum primùm commodè poterit.

Locus erit vnum ex nostris Collegijs anno proximo ante ipsa Comitia à Definitorio constituendum. Quòd si ex aliquo inopinato casu locus à Definitorio designatus minùs opportunus, aut commodus redderetur, alius à Præposito Generali, & Consiliarijs nominabitur, ita tamen opportunè, vt de huius secundi loci electione omnes Capituli Generalis Patres, & Superiores locorum certiores fieri possint. Quod idem statutum sit de loco Definitorij.

Omnes locorum Superiores per mensem antequam Comitia habeantur, sedulò curent, vt quicumque ex nostræ Religionis instituto viuunt, quotidie precibus, & sacrificijs Patres adituros Comitia Deo comendent. Clerici, & Laici Officium paruũ Spiritus sancti, vel Coronam Beatæ Virginis

ginis à dicto tempore , vſque dum Comitia dimittantur, quotidie recitabunt : Sacerdotes aut Miſſam de Spiritu ſancto , Superioris iudicio, frequenter celebrabunt , aut ſingulis Miſſis , cum ex Eccleſiæ ritu fieri poterit , addent collectam de Spiritu ſancto. Sabbato præcedente Comitiorum diem ieiunabūt vniuerſi: & toto Comitiorum tempore in omnibus noſtræ Congregationis Eccleſijs Miſſam de Spiritu ſancto ſingulis diebus non impeditis Sacerdos aliquis celebrabit , & in iiſdem Feria ſecunda poſt Dominicam tertiam , quæ celebrationi Capituli generalis initium faciet , Miſſa de Spiritu ſancto ſolemniter decantabitur ; Clerici Laicique noſtri Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum de manu celebrantis eodem die accipient:ab omnibus fundentur deuotæ orationes pro felici initio , & exitu Capituli generalis : manè , & veſpere poſt mentalem orationem dicentur Litaniæ Sanctorum cum ſolitis precibus , & orationibus de Spiritu ſancto , & de Beata Virgine, pro Prælatis, pro Congregatione, & familia , pro quacumque neceſſitate . Opportunum valde erit quemlibet iudicio Superioris , & Confeſſarij hoc præſertim tempore orationibus addere ieiunia , vel quamlibet aliam carnis macerationem , ad diuinam opem implorandam . Confeſſarij noſtri ſuos pœnitentes ad pietatis , & religionis exercitia inflamment, quò multiplicatis interceſſoribus Spiritus ſancti virtus, & gratia faciliùs Noſtris concilietur . Procurator Generalis plenariam indulgentiam à ſummo Pontifice conabitur impetrare viſitantibus Eccleſiam Collegij , in quo Capitulum Generale celebrabitur .

De electionibus in vniuersum, ac de suffragijs ferendis.

C A P V.

IN electionibus omnibus illud in mentem reuocent Patres nostri, vniuersæ Congregationis commodum, & incommodum ad se deferri, sibiq. vtcumque acciderit, acceptum esse referendum. Quapropter conspirantibus animis, & quantum in ipsis est, ad Dei voluntatem compositis illos semper eligere studeant, quos pietate, charitateq. in Deum, & proximum, studio in Congregationem, prudentia, & scientia ceteris digniores esse nouerint, idq. sibi præstandum tunc temporis intelligant, quod, si extrema vitæ hora immineret, & ad iustissimi iudicis tribunal sisti contingeret, præstitisse quisque peroptaret.

Verùm vt recto, sinceroque animo ad eligendum accedentes, quæ in eligendis necessariò virtutes requirantur, non ignorent, à Cancellario ante singulorum Officialium electionem, ea legi mandamus, quæ in Constitutionibus de ipsis atque ipsorum officijs respectiuè, decreta sunt.

Si quem tamen lateat, an vnus, aut alter magis, minusq. idoneus sit, huic liceat Electores percontari, eo solùm animo, vt in eorum, quorum fieri possit electio, qualitatum, ac meritorum cognitionem deueniat.

Caueat autem vnusquisque à directa, vel indirecta suffragiorum procuratione, tàm pro se, quam pro alijs: quicumque secus fecerint, in omnes pœnas, & censuras contra huiusmodi ambientes inflictas, præsertim priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habebuntur, super quo à nemine secũ dispẽsari posse sciant, nisi ab Apostolica Sede, ple

ctendi

ctendi etiã grauius pro qualitate culparũ. Supradictæ autẽ omnes pœnæ ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non reuelantes, ac etiam pro Capitulis Collegialibus extenduntur. In ſingulis electionibus tam in Capitulo Generali, quàm in Definitorio faciendis iurent Electores de non eligendo ſe ipſos, & de probioribus, & magis idoneis eligẽdis.

Nemo eligentium ſuffragium, quod in quempiam fert, alteri indicet ſub pœna grauis culpæ: non tamen ex ſingularis ſuffragij manifeſtatione electio vitiata exiſtimetur; quod idem obſeruetur in electione Sociorum.

Nemo in ſcheda, ſi non impreſſa ſit, ambiguis, alternatiuis, diſiunctiuis, vel conditionalibus verbis vtatur: & ſi huiuſmodi ſchedulæ deprehendentur à Scrutatoribus, tamquã nullæ habeantur, & factã electionẽ non impediant.

Etiamſi integra res ſit adhuc, neque dum electio promulgata, nemini tamen liceat ſchedam ſemel in vrnam illatam reuocare, aut ſuffragium commutare, quacumque proteſtatione poſthabita.

Electiones nocturno tempore nunquam fiant, ſed à prima diei hora vſque ad quartam & vigeſimam excluſiuè protrahi poſſint, aut in poſterum diem differantur.

Nemo quamuis legitimis curis alibi diſtentus, proprij ſuffragij ius alteri demandet.

Si electione iam legitimè inchoata, & non incepta publicari aduenerint alij; ad electionem cum ceteris perſequendam admittantur: nihil tamen propterea innouetur.

Si quis exiſtens in Ciuitate, aut Oppido, vel etiam in loco, in quo generale Capitulum celebratur, hora ad conueniendũ conſtituta, & dato campanulæ ſigno nõ adfuerit, is pro abſente habeatur, & electiones nullo pacto vitiet. Si quis vero Vocaliũ morbo aliquo detentus fuerit in Collegio, vbi Capitulũ habebitur, niſi is corã Cancellario, & duobus præterea Vocalibus voto ſuo ceſſerit, & renuntiauerit

cum

eum adire debeant vnus ex Scrutatoribus, & Cancellarius cum capſula perforata in ſuperiori eius parte, ſed inani, & palàm à Scrutatoribus prius aperta, poſtea clauſa, cuius capſulæ clauis ſuper menſa Comitij reponatur, ac ſecum quinque, aut ſex pagellas, in quibus nomina, & cognomina Vocalium ſint impreſſa, infirmi nomine deleto, ad illum deferre: ipſe verò infirmus ſecretò ſchedulã, in qua ſit nomẽ, & cognomen eius, quẽ voluerit eligere, reſecabit, cõplicabit, & præmiſſo iuramento ab Electoribus prçſtari ſolito, in capſulã per rimã cõijciet. Quòd ſi infirmus per ſeipsũ hæc pera gere non poſſit, vnus ex Vocalibus illius arbitrio deligẽdus, præſtito de ſecrẽto ſeruando in manibus Prçſidis iuramẽto, prædicta faciet omnia: quibus peractis, recta, neque aliò diuertentes, in Comitium reuertentur cum capſula, quam Scrutatores ceteri aperient, ſchedulam educent, in vrnã inijcient. Si plures erunt infirmi, idem prçſtabitur, ſchedulis tamen enumeratis, antequam in vas inijciantur. Per calculum autem çgrotus primus omnium ſuffragium feret in ſolitum cadiſcum. Quod ſi extra illud Collegium quiſpiam çger fuerit is abſens cenſeatur.

Si minor Electorum pars ſuffragium ferre recuſet, aut è Comitio egrediatur: ſi contra duç ex tribus reſiſtant, & contra ſentiant; poſſunt hç duæ nihilominus electiones facere, dummodò ex tribus, quæ remanſerunt, partibus duæ ad electionem conſentiant.

Qui electioni præſentes aderunt, ijs proprio voto actiuo renuntiare non liceat tametſi aliter ſentiant, quàm decerni viderint; ſed moderationem animi præſeferentes cum maiori parte ſentire non çgrè ferant.

Si Vocalis quiſpiam quauis ex cauſa, etiam neceſſaria, electionum tempore Comitio exeat, ſi votum non dederit, illius ius ac poteſtas omnis, tùm eligendi, tùm cetera decernendi ad eos, qui in Comitio remanſerint, deuoluatur, at-

que

que electio ab his facta, aut decretum aliquod statutum, ratum, ac legitimum sit. Quòd si ante electionis finem, aut decreti alicuius promulgationem redierit, dummodo vota tam in electione, quàm in decretis non sint cœpta publicari, suffragij iure & ipse vtetur.

Si quis absens pro ea vice proprio suffragio renuntiauerit, & facti huius mox pœnitens ad Comitia regressus fuerit, cum ceteris Vocalibus admittatur.

In suffragijs ferendis Præpositus Generalis non secus, ac reliqui, vnico calculo vtatur: vbi tamen æqualia in aliquem conspirarint suffragia (electionibus à toto Capitulo generali faciendis exceptis) postquam iam iterum ad calculos deuentum fuerit, tum duplici vtetur suffragio.

Si quid in ferendis suffragijs, aut in iam latis controuersiæ fuerit ortum, Præpositus Generalis, vel Præses, Scrutatores, Consiliarius minor, & duo professione antiquiores diriment, & calculis definient, ita vt quod pluribus visum fuerit, id fiat. Quòd si in electione Præpositi Generalis aliquid huiusmodi acciderit, Capitulum decernet, & illius decreto acquiescent omnes.

Qui electus fuerit, is prouinciam tanquam sibi à Domino impositam non detrectet, sed æquo animo suscipiat, nec vlla cuiusquam excusatio admittatur, nisi à duabus Capituli, si à Capitulo, vel Definitorij, si à Definitorio electio facta fuerit, partibus sit approbata: si quis tamen occulto, & sibi tantùm noto legitimo impedimento laboret, ei nulla fides adhibeatur, nisi id iureiurando coram Capitulo, vel Definitorio confirmarit.

Electus quisque ex Constitutionum præscripto eo ipso confirmatus habeatur, nisi impedimento aliquo Canonico illum detineri Præposito Generali, Vicario, & Consiliarijs innotuerit; quibus si dubitatio de allato impedimento grauis videatur, & post diligentem Inquisitionem iuridicè ab

 ipsis

ipsis faciendam adesse impedimentum re vera iidem cognouerint, electionem illius irritam declarent, & ad aliam deueniatur. Electis tamen statim post electionem munere suo fungi liceat, donec prædictis Patribus de impedimento constiterit. Qui autem ab electione semel ob impedimentum aliquod fuerit reiectus, non amplius assumatur, nisi priùs de eo remoto Vocales edocti fuerint.

Nullum cuiuspiam ex maioribus Officialibus munus cessare censeatur, nisi cum paulò ante nouam cuiusque Officialis creationem Cancellarius, Præpositi Generalis iussu, de electione facienda omnes admonebit, & ad ipsam aduocabit. Tunc enim eo ipso dignitates illæ cessabunt.

In Capitulo Generali congregato præter Præpositum Generalem, vt infra, eligentur etiam reliqui Definitorij Officiales, quorum quilibet si vnam eiusdem Definitorij dignitatem obtinuerit ad triennium; eo expleto ad aliam, non ad eãdem eligi poterit, Procuratore generali excepto, qui triennio expleto poterit confirmari: eo autem casu à Definitorio amouebitur, & eius in locum quintus Definitor eligetur, qui numerum Definitorij tertium decimum expleat, & triennium in eo munere, vt ceteri, perseueret.

Si quem autem Officialium maiorum intra triennium à die electionis, aut vita decedere, aut ob infirmam valetudinem, aut aliquod impedimentum ad munus suum obeundum ineptum reddi contigerit, alius in illius locum à Definitorio proximè sequenti sufficiatur cum duabus suffragiorum partibus, qui eius, in cuius locum est suffectus, vices tam in munere, quàm in loco, & temporis, quod superest, decursu sustineat.

Si Generali Capitulo durante aliquis ex maioribus Officialibus officio suo fungi nequiuerit, à Definitorio eligatur

gatur alter, qui impediti vices subeat.

Electio Præpositi Generalis, cum duabus ex tribus partibus votorum fiat: reliquæ omnes cum maiori supra dimidium respectiuè, excepto casu superiùs expresso, §. Si minor electorum pars, &c. & si quid alibi secus statutum sit.

Dum in aliquem suffragia feruntur, vel de eiusdem causa agitur, is ea vice à suffragatione abstineat; Capitulo, vel Definitorio exeat, nec non illius propinqui in primo, & secundo gradu inclusiuè.

Calculi, qui pro electionibus in cadiscum inferuntur, cum inde extrahuntur; à solis Scrutatoribus videantur, non ab alijs Electoribus.

De ratione eligendi Præpositum Generalem.

C A P. V I.

Tertio quoque anno in Præpositum generalem, qui vniuersæ præsit Congregationi, eligetur vnus ex Vocalibus: confirmationi eiusdem, seu nouæ electioni locus vltra primum triennium, ad alterum solùm proximè sequens poterit esse. Modus ac ratio illius eligendi hæc erit.

Die lunæ mane Præpositus Generalis, vel si absit, Vicarius Generalis Missam de Spiritu sancto celebrabit, cui omnes, qui in eo Collegio sunt, intersint; præcipuè vero Electores, qui sanctissimo Christi corpore sese reficient de manu celebrantis; & nemo hac spirituali refectione legitimè non impeditus abstineat.

Pulsata deinde campanula, omnes qui in Collegio aderunt

runt Sacerdotes, Clerici, Laici in Chorum conuenient, & Clericorum vno præferente Crucem, à Choro per Ecclesiam, vt in processionibus fieri solet; ad Comitium proficiscentur superpelliceis induti Præpositus generalis, Alba, Stola, & Pluuiali rubei coloris medius inter Vicarium generalem, & Consiliarium maiorem, vel si erit Vicarius generalis, inter ipsos Consiliarios, aut duos professione antiquiores incedet, decantando Hymnum *Veni creator Spiritus*, alternis Choris, eo ordine, vt qui in Electorum numerum non sunt adscripti, præeant, tum Socij, deinde Vocales. Cum ad Comitij fores ventum fuerit, Præpositus generalis, & Electores depositis Pluuiali, & superpelliceis, Capitulum ingredientur, & fores obserabuntur. Ianitores duo semper assistent, procul tamen à foribus: reliqui ad Chorum reuertentur, vbi precibus incumbent vsque dum electioni finis imponatur, exposito interim in Altari maiori sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Electores Capitulum ingressi ante Iesu Christi crucifixi imaginem procumbent in genua: tùm Præpositus generalis Antiphonam inchoabit.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Vers. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.* Resp. *& renouabis faciem terræ.*

Vers. *Domine exaudi orationem meam:* Resp. *& clamor meus ad te veniat.*

Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.*

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulos tuos, & super Congrega-

gregationes illis commiſſas ſpiritum gratiæ ſalutaris, et vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Mentes noſtras, quæſumus Domine, *lumine tuæ claritatis illuſtra, vt videre poſſimus, quæ agenda ſunt, et quæ recta ſunt agere valeamus. Per Chriſtum* Dominum *noſtrum.*

Reſp. *Amen.* *Antiphona.*

Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei Genitrix, *noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, et benedicta.*

Verſ. *Ora pro nobis ſancta* Dei Genitrix.

Reſp. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oremus. Defende quæſumus Domine *B. Maria ſemper virgine intercedente iſtam ab omni aduerſitate familiam, et toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis.* Per Chriſtum *Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.*

Quibus perſolutis protinus illius ceſſare munus cenſeatur. Itaque ſigillo in manu Vicarij depoſito (qui Vicarius hoc ipſo Pręſidis officio, & nomine gaudeat ea prorſus poteſtate, quæ in Præpoſito Generali poteſt eſſe ſumma) in ordinem redactus ad locum ſibi ex profeſſione debitum accedat: Quòd ſi ad Vicarium generalem ſpectauerit Capitulum conuocare, is nihilominus Præſidem aget, & in ſuo munere ac loco perſeuerabit.

Priuſquam verò ad Præpoſitum Generalem eligendum deueniant Patres electores, ſi quid ſtatuendum erit ad ipſius, vel maiorum Officialium perſonas, iura, modum procedendi, & ad electiones attinens, hic erit locus, Socijs ex Italia prius e Capitulo dimiſſis. Tum electio fiet hoc modo.

Vrnula ſuper menſa in capite Comitij poſita de more ſtatuatur, tum ſingulis Electoribus tam Vocalibus, quàm Socijs quinque aut ſex pagellę, in quibus impreſſa ſint nomina

mina

mina, & cognomina Vocalium omnium Capituli Generalis, à Cācellario distribuentur; deleto in vnaquaq; nomine, & cognomine illius, cui assignabuntur. Mox tres Scrutatores per vota secreta eligentur à Vocalibus & Socijs, qui debeant inseruire pro electionibus quorumcumque maiorum Officialium, & Prouincialis Galliȩ. Vota autem illorum, qui Scrutatores ipsos eligent, accipiet Præses Capituli, & duo Consiliarij, eorumque altero absente, Cancellarius: ac si vterque absit, Cancellarius, & Vocalis senior professione.

Scrutatoribus electis, Præses paululum se subducet à medio mēsȩ, vt ibidem consistere possint Scrutatores; mox Cancellarius, annuente Præside, alta voce pronuntiabit:

In nomine Sanctissimæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad Præpositi Generalis nominationem, et suffragia ferenda vnusquisque ex ordine accedat.

Surget deinde Præses, qui ante Sanctissimam Christi crucifixi imaginem genibus flexis signo Crucis primo se muniens iureiurando se obstringet in hȩc verba:

Ego *N. præses et Elector testem inuoco Deum, qui me iudicaturus est, quòd secundum veritatem conscientiæ meæ vnum in Præpositum Generalem, quem probiorem, et magis idoneum, pensatis circumstantiis, iudicauero, vna schedula, non tamen meipsum nominabo.*

Tùm propriam schedulam, quā nomen & cognomen à se electi contineatur, complicatam, ac duobus digitis coram Scrutatoribus sublatam in vrnam immittet, deinde ad propriam sedem reuertetur: idem nulla interiecta mora præstabunt Scrutatores sigillatim.

Ego N. Scrutator, et Elector testem inuoco Deum, qui me iudicaturus est, quòd secundum veritatem conscientiæ meæ vnum in Præpositum Generalem, quem probiorem, et magis idoneum, pensatis circumstantiis, iudicauero, vna schedula

non tamen me ipsum nominabo: et verum, ac præcisum numerum suffragiorum, quæ pro vnoquoque lata fuerint, enuntiabo: et in hoc Scrutatoris munere me fidelem, ac sine dolo præstabo.

Vnusquisque deinceps ex Electoribus, seruato professionis ordine, ad eamdem mensam accedet, & genibus flexis signo Crucis sibi priùs impresso iurabit his verbis.

Ego N. Elector testem inuoco Deum, qui me iudicaturus est, quòd secundum veritatem conscientiæ meæ vnum in Præpositum Generalem, quem probiorem, et magis idoneum, pensatis circunstantiis, iudicauero, vna schedula: non tamen me ipsum nominabo.

Et statim surgens complicatam schedulam, & duobus digitis coram Scrutatoribus sublatam in vrnam iniiciet, ac proprium repetet locum.

His eadem ratione ab vnoquoque præstitis, ex Scrutatoribus professione, vel ætate minimus schedulas ex vrna educet, & coram Scrutatoribus numerabit: qui easdem euolutas alta voce perlegent, & singulos nominatos cum numero suffragiorum in sua quisque pagina describet.

Quòd si duæ ex tribus partibus Electorum in vnum aliquem consenserint, is legitimè electus censeatur, atque illico iubente Præside Scrutatorum maior electionis Decretum his verbis conficiet.

In legitima Congregatione die N. Mensis N. Anni N. in Ciuitate N. vel oppido N. in Collegio N. habita, secundum rationem præscriptam à nostris Constitutionibus: Ego N. Scrutator senior huius Capituli, Spiritus sancti gratia inuocata meo, & omnium nomine, ad quos pertinet electio, eligo in Præpositum Generalem Clericorum Reg. Congregationis Somaschæ, & Doctrinæ Christianæ in Gallia, & electum declaro Admodum Reli. Patrem N. N.

Quod Decretum à Scrutatoribus subscriptum, & Congrega-

gregationis sigillo obsignatum Scrutatorum maior statim promulgabit, nisi is fuerit electus: tunc enim promulgandi munus erit Scrutatoris professione ab illo secundi.

Sin autem prædictum suffragiorum numerum nemo attigerit, ad calculos deuenlatur. Scrutatorum vltimus omnes in schedulis nominatos alta voce recitabit, & ab eo, qui professione fuerit senior, suffragationis fiet initium: ille in quem à ceteris feruntur suffragia, à ferendo suffragio interim abstinebit, & Capitulo egredietur. Cancellarij munus erit cadiscum affirmationis, & negationis signo notatum circumferre, singulos calculos singulos Electoribus distribuere, & postquam ipse primus omnium calculum immiserit, à Præside, & à Scrutatoribus primum, deinde à ceteris, seruato professionis ordine, recipere, tum ad Scrutatores cadiscum predictum referre, qui eductos calculos enumerabunt, cum numero Electorum conferent, & numerum exscribent, nec illum tamen euulgabunt, nisi post omnium suffragationem. Dehinc ceteri, quicumque nominati fuerint, calculis subijcientur, & singulorum numerus adnotabitur à Scrutatoribus: Qui autem pluribus calculis numerum ad electionem necessarium duarum partium superauerit respectiue, is erit Præpositus Generalis. Quod si in duos simul æqualia suffragia conuenerint, maior professione, & inter æquales professione, natu maior electus censeatur. Cancellarius dum cadiscum circumferet, dum suffragia distribuet, & colliget; verbis omnino, & nutibus abstineat; sed demissis in terram oculis, erigat mentem in Deum, ab eoque lumen, & opem singulis imploret.

Sin prædicta ratione nullus electus reperietur, ad suffragationem iterum regrediendum erit, eodem omnino, quo supra seruato modo: quòd si adhuc res infecta sit, prætermissis ijs, qui non plura quàm quatuor suffragia habuerint,

rint, reliqui omnes ad calculorum iudicium reuocabuntur, initio ducto ab eo, in quem plura antea lata fuerint suffragia: quòd si ne hac quidem ratione finis electioni imponi possit, Patres Electores ad quartam partem horæ orationi incumbent, deinde supradictis ad suffragia seruato eodem ordine reuocatis, si ne hac quidem ratione electio successerit, noua per schedulas fiet nominatio, prædictis omnibus, atque præscripto ordine seruatis. Neque eo die è Comitio egredientur Patres, neque iisdem ad victum quidquam afferetur, præter panem, & vinum, nisi electione absoluta.

Electus verò Generalis, medius inter Præsidem, & Scrutatorem maiorem, detecto & ad Sanctissimam Christi imaginem conuerso capite, assurgentibus omnibus, ac stantibus, & ipse consistet. Tunc Præses incohabit Hymnum. *Te Deum laudamus &c.* & prosequentur reliqui vsque ad finem. Quo recitato addet.

Vers. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

Resp. *A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.*

Ter autem hic Vers. cum suo Resp. repetetur. Tum subijcietur.

Vers. *Domine exaudi orationem meam.* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. Deus cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ maiestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: vt qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. *Amen.*

Interim Comitij ianitoribus de electione admonitis, eorum alter ad tintinnabulum accurrens signo dato Collegiales conuocabit: nouus Generalis vestibus induetur sacris,

Electores superpelliceis, vt initio est factum, Cruce præeunte, omnes eodem ordine, quo in ingressu, à Comitio in Ecclesiam, & illam circumeuntes, vt fit in supplicationibus, ad Altare maius prodibunt decantantes alternis choris Canticum Zachariæ *Benedictus Dominus Deus, &c.*

Postea Præpositus Generalis genibus flexis medius adhuc inter Præsidē, & maximum Scrutatorem silentio aliquantisper orabit, recondito priùs Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento: deinde manu lapidi sacro admota iurabit in hæc verba.

Ego N. seruus Dei, & indignus Præpositus Generalis Congregationis Somaschæ, & Doctrinæ Christianæ in Gallia, testem inuoco Deum, quòd Congregationem pro viribus meis iuxta ipsius Constitutiones factas, & canonicè faciendas administrabo.

Tunc Præses ei tradet sigillum, & eo ipso Præpositus Generalis confirmatus censebitur: Præsidis verò officium protinus cessabit.

His peractis sedebit Præpositus Generalis capite coöperto in sella sibi in cornu Euangelij collocata, vbi post Vicarium Generalem, & maximum Scrutatorem, qui tunc temporis ipsi Præposito Generali assistent, Vocales omnes, & Socij professionis ordine seruato, genibus flexis ipsum reuerenter amplectentur, & eius dexteram in obedientiæ testimonium osculabuntur; Collegiales verò, & domestici omnes extremam anteriorem partem Pluuialis: mox Chorum ingressi exuent se superpelliceis, atque eo mane si contigerit electio, nihil præterea agetur in Comitijs, vt ad ceteras electiones oratione præparare se valeant Electores, nisi Præpositus Generalis ibidem in templo, aut in Comitio sermonem habere voluerit.

De electione maiorum Officialium, ac de ratione ferendi suffragij in ipsa.

CAP. VII.

IN primo consessu post Præpositi Generalis electionem, ad ceteros Capituli generalis digniores Officiales eligendos deueniatur, & primùm quidem Vicarius Generalis, tùm vterque Consiliarius, deinde Visitatores tres, tum Prouincialis Galliæ, mox Definitores quatuor, tum Procurator Generalis, postremò Cancellarius creabuntur.

Scrutatores in horum Officialium electionibus erunt ijdem, qui in Præpositi Generalis electione fuerunt.

Constituta igitur hora Capitulo de more conuocato, atque ex Constitutionum libro à Cancellario lectis, quæ ad electionem, & officium Vicarij Generalis spectant, Electores ab eodem Cancellario aduocabuntur his verbis.

In Nomine Sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ad nominationem Vicarii Generalis, & suffragia ferenda vnusquisque accedat ex ordine.

Quo dicto Vicarius sigillum Præposito Generali tradet, & ad locum suæ professionis redibit, tunc Præpositus Generalis ante sanctissimam Christi crucifixi imaginem accedens genuflexus iurabit in hæc verba.

Ego N. Præpositus Generalis testem inuoco Deum, qui me iudicaturus est, quod secundum veritatem conscientiæ meæ in vnaquaque maiorum officialium electione, quos probiores, ac magis idoneos pensatis circumstantiis iudicauero, vna schedula nominabo.

Tum surgens Præpositus Generalis schedulam, in qua nomen, & cognomen à se electi scriptum sit, inuolutam, &

duobus digitis coram omnibus priùs ſublatam in vrnam inijciet, mox ad propriam ſedem reuertetur. Idem prorſus præſtabunt Scrutatores, ſic iurantes.

Ego N. Scrutator & Elector teſtem inuoco Deum, *qui me iudicaturus eſt, quòd ſecundum veritatem conſcientiæ meæ in vnaquaque maiorum Officialium electione, quos probiores, & magis idoneos penſatis circumſtantiis iudicauero vna ſchedula; non tamen meipſum nominabo, & non niſi verum, & præciſum numerum ſuffragiorum, quæ pro vna quaque electione lata fuerint, enuntiari permittam, & fidelem me, ac ſine dolo in hoc Scrutatoris munere præſtabo.*

Ceteri Electores ſinguli ſuam ſchedulam coram Scrutatoribus in vrnam immittent, flexo prius ad terram genu ante Crucifixi imaginem in hunc modum præſtito iuramento.

Ego N. Elector teſtem inuoco Deum, qui me iudicaturus eſt, quòd ſecundum veritatem conſcientiæ meæ, in vnaquaq; maiorum Officialium electione, quos probiores, & magis idoneos, penſatis circumſtantiis iudicauero, vna ſchedula, non tamen meipſum nominabo.

Socij idem præſtabunt, omiſſis verbis illis in iuramento (*non tamen meipſum*) Quod cum omnes reſpectiuè præſtiterint, Scrutatorum minimus, ſpectantibus reliquis, ſchedulas ex vrna eductas numerabit; quas Scrutatores perlegent, & ſingulos nominatos cum ſuffragiorum numero adnotabunt. Si in vnum aliquem ſuffragia requiſita conſenſerint, ille electus cenſeatur. Si verò neceſſaria ad legitimam electionem in neminem lata fuerint, electio ad calculos reuocetur; ita prorſus vt de Præpoſiti Generalis electione traditum eſt.

Tantùm cadiſcus, in quem inijciendi ſunt calculi, non à Cancellario, ſed ab vno ex Electoribus, quem Præpoſitus Generalis ad id delegerit, circumferetur, à quo etiam calculi

culi distribuentur, ita vt altera manu vasculum, in quo tot vtique sint calculi, quot Electores, altera verò cadiscum gestet, atque vno tempore calculorum fiat distributio, & suffragatio: nec huic interim liceat quempiam alloqui, siue gestibus, vel nutibus allicere.

Si in primo scrutinio electio non succedet, de integro distributis calculis suffragatio incipiet fieri ab eo, in quem plura suffragia in eodem primo scrutinio concurrerint, & sic deinceps pro suffragiorum numero.

Atque hæc scrutinij, & suffragij ferendi ratio in ceterorum etiam Officialium electione omnino seruetur.

Vbi maiorum Officialium electiones expletæ fuerint, sequenti die publici Notarij contestatione, Sociorum interuentu confirmentur. Hi verò, antequam discedant, aliò profecturi, si quas literas à subditis locorum suæ electionis acceperint, aut aliquid aliud, quod ad eosdem spectet, Definitorio proponendum in mandatis habuerint, fideliter consignent, & referant.

Qualis esse debeat Præpositus Generalis.

C A P. V I I I.

QVi in Prępositum Generalem est eligendus, quadragesimum ætatis annum, & professionis decimum ad minus excedat, parentibus sit honestis natus, nulloque obstrictus impedimento Canonico, valetudine bona, & firmis vtatur viribus, vt communem viuendi modum, labores assiduos, & onus cum honore coniunctum sustinere queat, zelo disciplinæ regularis tuendæ, & promouendæ ferueat, quem apud nos religiosa consuetudine, & imperando, & obediendo satis expresserit.

Prælu-

Præluceat alijs charitate in omnes, sed præcipuè in pueros orphanos, item bonitate, & scientia, vt quà priuatis, quà publicis cohortationibus monere, corrigere subditos possit, & apud ceteros mirabilem sapientiæ, pietatisq; odorem diffundere.

Veram, sinceramque animi humilitatem cum auctoritate, & grauitate coniunctam habeat, seueritatem humanitate condiat, omnibus perturbationibus animi ita sit liber, vt quos correxerit,& admonuerit subditos,ij libenti animo eius monita,& correctiones excipiat.

Eūdem eximio à natura instructum esse ingenio,rerum vsu perfectum, vita irreprehensibilem, bonorum Congregationis nostræ fidelissimum, omnium voce probatum administratorem, orationi quàm maxime deditum desideramus.

Magnanimitatem, animique fortitudinem eiusmodi præ se ferat, vt non ita facile de recta sententia moueatur, nec humilitatis,aut mansuetudinis specie sua monita,vel iussa negligi permittat.

Tandem deformitate membrorum non laboret, sed præstet potiùs dignitate formæ, & quod præcipuum est omni virtutum genere ita excellat, vt sit exemplar & norma,ad quam ceteri se conforment. Verùm sicut hæc omnia in vno inesse optabile esset, ita saltem contendent Electores, vt eum ad supremam Congregationis dignitatem promoueant, qui ad ea quàm proximè accedat.

De munere, & auctoritate Pręposìti Generalis.

Cap. IX.

QVoniam Pręposito Generali grauissima, & maximè omnium ardua prouincia imposita est, vt scilicet animas

mas fidei, poteſtati, prudentiæq. ſuæ commiſſas ad ſummum perfectionis faſtigiũ pro humanæ naturæ imbecillitate, & verbo, & exemplo dirigat, cum nihil habere antiquius par eſt, quàm omnes rationes perſequi, quibus exiſtimet ad id, quod maximè velle debet, perueniri facile poſſe, rerum etiam temporalium cura non poſthabita.

Quocircà Conſtitutiones ac decreta, tum auctoritate tum exemplo ita vbique obſeruanda curabit, vt hortando, monendo, opportunè, importunè, pro naturę, ingenij, morumq. diuerſitate, & virtutibus, quibus animorum morbi depelluntur, perturbationeſq. ſedantur, inſerendis ſollicitus non tam de ſua, quàm de aliorum ſalute, ante Chriſti tribunal reddendam eſſe ſibi rationem numquam non cogitet.

Præterea Religionis totius ſtatum, quomodo res in dies ſe habeant, an diſciplinæ regularis tenor vſpiam remittatur: an Præpoſiti, & Rectores ſuo nauiter fungantur officio: an ſubditorum neceſſitatibus animæ, & corporis paterno affectu proſpiciant, identidem vt cognoſcat, curabit.

Itaque primo ſui Generalatus anno vniuerſa Congregationis loca per ſe ipſe obibit, & inuiſet, quò locorum ac perſonarum natura cognita, quæ diſponenda ſunt, faciliùs ordinare, atquæ inſtruere poſſit. Quòd ſi legitimo detentus fuerit impedimento, eam obibit Congregationis partem, quam poterit, reliquam in proximum annum reijciet, atq; interea à Superioribus de natura, genio, & ingenio ſubditorum curabit edoceri, ipſeque in libello, quem apud ſe ſeruabit, & ſecum deferet, notatu digna adnotabit.

Quoties autem ad aliquem ex noſtris locis Præpoſitus Generalis viſitationis gratia peruenerit, omnes adeuntem in Eccleſiam comitentur, ibique *Te Deum laudamus* recitabunt.

Excepto viſitationis tempore, in eo Congregationis noſtræ

ſtræ Collegio, quod ſibi in ſuæ reſidentiæ locum delegerit commorabitur.

Quæ in Capitulo generali, vel Definitorio conſtituta fuerint, ea curet ad ſenſum, & voluntatem eorumdem Patrum, etiam tempore, modo, & reliquis circumſtantijs exequenda.

Conſtitutiones, & Capitulorum generalium, vel Definitoriorum decreta, priuilegia, conceſſiones, facultates à ſummis Pontificibus Congregationi noſtræ impertitá in promptu habeat.

Ceterum ipſius Prępoſiti Generalis auctoritas tāta erit, quanta ex iure, & ex priuilegijs, ijs exceptis, quæ Conſtitutionibus noſtris, ac Decretis Capituli generalis aduerſantur, conceditur.

Nemini Religionis habitu indui, aut ad Nouitiatum, vel ad profeſſionem admitti; ad ſacros Ordines promoueri; nemini Concionatoris, Lectoris, Confeſſarij vel Parochi perſonam ſuſtinere liceat, ſine ipſius Prępoſiti Generalis expreſſa facultate, quam tamen ipſe poterit Superioribus ipſis, vel alijs, prout expedire animaduerterit, delegare: facultatem verò recipiendi Nouitios ad profeſſionem ſolis Superioribus, Vicario Generali, Procuratori Generali, & Viſitatoribus, non alijs delegare poterit, quos ea in re ſuos Vicarios conſtituet, & declarabit.

Munus eiuſdem erit Capitulum, aut Definitorium, quoties res exigere videbitur, cum voto Conſiliariorum, conuocare, & dimittere, & Conſtitutionem aliquam declarare.

Licebit eidem præterea extra Definitorij tempus Congregationis noſtræ perſonas de loco ad locum tranſmittere.

In obitu, vel diuturna abſentia Superioris alicuius, aut remotione ab officio alium in illius locum, cum voto Conſi-

liario-

liariorum, vel Aſſiſtentium, ſubſtituere , qui Vicarij nomine inſignitus ordinariam Superioris auctoritatem habebit vſque ad Superioris aduentum.

Preterea Sacerdotē aliquē ſibi à ſecretis aſſumere, virum ætate grauē, moribus, probitate, & ſcribēdi peritia ornatū.

Cum Viſitatoribus, & alijs auctoritatem ſuam communicare, eamdem etiam reuocare, & imminuere, & rurſum ad arbitrium augere integrum illi ſit, præſertim cum illi cō tigerit neceſſarium aliquod iter aggredi, aut ex eorum prouincijs abſcedere, ita tamen vt quæcumque illi fecerint, ſi rerum natura id ferat, approbare poſſit per ſe, reprobare autem non poſſit, niſi de Conſiliariorum, vel Aſſiſtentiū conſenſu, atque iterum omnia quæcumque expedire in Domino iudicauerit, decernere liceat. Cum verò extra Italiam perrexerit, cum omni poteſtate Vicarius Generalis in Italia remaneat.

Demortuo vel impedito Viſitatore in Viſitatorijs locum aliquando alium deſtinare poſſit, qui Prouiſitatoris nomen habeat: ſi verò ob aliquam peculiarem cauſam mittatur, Commiſſarij nomine appelletur, & tunc in eam ſolum cauſam ſe ingerat, ob quam miſſus fuerit.

Eiuſdē erit negotia grauiora Comitijs Generalibus, aut Definitorio non reſeruata, de conſilio Vicarij Generalis, & vtriuſque Conſiliarij, vel Aſſiſtentium, ſi res moram non patiatur, tranſigere.

Item pœnas exigere delictis quibuſcumque etiam grauiſſimis debitas, & hanc camdem facultatem Vicario Generali, & Viſitatoribus, vel Commiſſarijs ab ipſo nominatis impertiri, & communicare poterit: pœnam tamen corporalem extra noſtra clauſtra ſubeundam, quę infamiam irroget, excipimus, quam non imponet niſi de conſenſu Definitorij, ſi tempus illius commodè poterit expectari, ſin ſecus de Aſſiſtentium, & Conſiliariorum, aut duorum

Vocalium Capituli Generalis proximiorum consensu, dummodo ex quinque quatuor vota concurrant, etiam per literas exprimenda.

Eius in potestate sit licentiam dare Capitulis, vel Superioribus, vt ad Sanctam Sedem recurrant pro alienationibus faciendis, censibus imponendis, & sine Præpositi Generalis licentia non audeat Procurator Generalis aliquid huiusmodi attentare.

Cum Nouitijs excedentibus quadragesimum ætatis annum vsque ad quinquagesimum, vt recipi possint, eidem liceat dispensare.

Quāuis autē in visitatione ipsa pro cuiusq. loci peculiari gubernatione ordinationes, & statuta facere non prohibeatur; à rebus tamen nouis, quantum poterit abstinebit, & ordinationes istiusmodi cum eius officio exspirasse intelligantur.

Omnibus insuper, & singulis in nostra Religione professis in virtute sanctæ obedientiæ præcipere, & censuras Ecclesiasticas adhibere ei liceat: vtrisque tamen vt quàm parcissimè vtatur, etiam atque etiam hortamur.

Si ad disciplinæ conseruationem interesse iudicauerit, vt sibi casus aliquos, & censuras reseruet; id nonnisi de Vicarij Generalis, & Consiliariorum consilio præstabit; absolutionis tamen facultatem ad arbitrium suum ceteris impertire liberum illi sit.

Quia interdum contingit, non posse Consiliarios adesse in ea Ciuitate, in qua Præpositus Generalis residet, fas erit eidem sibi duos ex Vocalibus Assistentes eligere, adeò vt si forte locum residentiæ mutarit, eiusdem arbitrio relinquatur alios eligere Assistentes, qui ibidem, vbi is aderit, commorentur; atque ijdem in rebus, in quibus agitur de iure tertij, præsertim odiosis decernere, quod æquum fuerit, suo suffragio possint; in ceteris verò solum id consulere,

quod

quod prudentia dictarit. Declaramus autem hos neque Officiales esse, neque Assistentiam istiusmodi esse dignitatem.

Duos semper secum adhibeat in itinere comites, vel vtrumque Sacerdotem, vel saltem alterum, qui sit illi à secretis, alterum laicum.

Eidem rem sacram facienti Sacerdos, & Clericus assistet.

Cubiculum vnum, & alterum religiosa, & communi supellectili instructum habeat, & Laicum professum, qui ei deseruiat.

Communi victu, vestituq; contentus sit: si quid tamen circa victus rationem remittere contigerit, eam adhibebit moderationem, vt laboribus, necessitati, & honori gradus id tribui omnes intelligant.

Multum Reuerendi Patris Nostri semper titulo honorabitur a Nostris.

Sigillo vtetur duplici: grandiori ad publicas scripturas muniendas, minori, quo priuatæ literæ obsignentur: in vtroque sit incisa effigies Iesu Christi crucem gestantis, cum inscriptione ONVS MEVM LEVE, quod nostræ Congregationis Stemma esse statuimus; in iisdem hæc erunt circumscripta verba. PRAEPOSITVS GENERALIS CLERICORVM REGVLARIVM CONGREGATIONIS SOMASCHAE, ET DOCTRINAE CHRISTIANAE, IN GALLIA.

Expleto sui Generalatus triennio in proximo generali Capitulo coram tribus Iudicibus ab eodem Capitulo per vota secreta constitutis tam impensi, quàm accepti rationem reddere teneatur, cuius exemplum authenticum describatur ex actis Capituli, vt Romam transmitti possit, quoties ab Apostolica sede mandaretur.

De auctoritate, & modo procedendi Congregationis erga Patrem Generalem.

CAP. X.

CVM Prępositi generalis auctoritatem, & potestatem Capitulo generali, & Definitorio subiectam esse statutum sit, æquum est vt is superiorem sibi potestatem agnoscens, illis acquiescat, & promptè exequatur omnia, quæ à Capitulo generali, vel à Definitorio pro tempore statuentur.

Vicarius Generalis, & Consiliarij sua in primis charitate, & vigilantia euitare studebunt, ne Præpositus Generalis laboribus nimijs, aut indiscreta vitæ seueritate in aduersam aliquam valetudinem incidat.

Debebunt præterea Consiliarij, si quid in Præposito Generali, quod ad ipsius personam, vel ad officium spectet, monitione dignum animaduerterint, debita cum modestia, & humilitate in Domino ipsum commonere, qui nisi reipsa resipuerit post vnam, & alteram monitionem, ab ipsis Consiliarijs corripiatur: sin autem in rebus magni momenti, vel propter grauem corporis valetudinem, vel aliam ob causam, seu necessariam, seu voluntariam negligens deprehendatur, & inde graue aliquod Congregationi damnum timeatur, rerum illarum curam Vicario generali, Consiliarijs id poscentibus, demandare teneatur, vel si ipse id negligat, Definitorium suo tempore id omnino præstet: Constitutiones, quibus ad Capitulum Generale, vel Definitorium aliquid pertinere decernitur, ita intelligendas esse Præpositus Generalis meminerit, vt quę

contra molitus fuerit, nullius futura sint valoris, ac momenti.

Quamquam autem de diuina gratia non ita est desperandum, vt nobis veniat in mentem subuereri, eum futurũ esse aliquando Præpositum Generalem, qui crimen aliquod perpetret, quod pœna depositionis Canonico iure puniendum pręcipiatur: tamen si iusto Dei iudicio id vnquam accidat, postquam de re planissimè constiterit, ille officio abdicetur, ac pro delicti magnitudine plectatur, seruatis seruandis.

Quoniam verò sæpè contingit eum, qui aliorum moderationi præest, multorum dictis, & oblocutionibus patere, dabunt operam Definitorij Patres, ne obiectorum criminum admittant probationes, nisi efficacissimæ sint.

Itaque si ex criminibus, quæ depositione digna sint, Præpositum Generalem (quod Deus auertat) aliquod commisisse contigerit, curabunt ij, quorum ad aures peruenerit, de tota facti serie Vicarium Generalem quam primum admonere, qui præmissa oratione, re diligenter, & matura consideratione examinata, si ita expedire iudicauerit, Consiliarios aduocabit, quibus rem, vt se habet, exponet.

Tum si & ipsi re accuratè discussa, depositioni locum esse censuerint, reliquos Definitorij Patres conuocabunt, & si quis venire quouis nomine recusauerit, proximiores Vocales vsque ad duodenarium numerum substituent.

Consiliarij rem ad Definitorium referent (quod ipse Prępositus Generalis non ingredietur) Ea res præmissis precibus diligentissimè, & accuratissimè examinabitur. Vbi verò satisfuerit res examinata, duæque ex tribus Definitorij partibus ad Præpositum Generalem deponendum consenserint, officio priuatus intelligatur, iuris tamen prius ordine seruato: statimq. Vocales, & Superiores omnes publicis

literis

literis de Præpositi Generalis depositione commonefiant, & tota illius auctoritas ad Vicarium Generalem, vsque ad Generale Capitulum ttansferatur, quod proximo Paschate conuocabitur.

In casu prædicto Præpositi Generalis locum, & munus in Definitorio tenebit Vicarius Generalis, & in Vicarij locum alter substituetur à Definitorio.

Sin crimen, de quo Præpositus Generalis est accusatus, adeo enorme non fuerit, vel non ita bene probatum, vt depositioni; sit locus, sed correctioni, aut alicui alij pœnæ, rem totam ad Definitorium Paschatis subsequentis deferent Vicarius, & Consiliarij; vbi poena pro culpæ qualitate infligatur. Quòd si accusatores, siue testes in probationibus defecerint, grauissima poena puniantur à Patribus Definitorij, & Præpositi Generalis innocentia publicis literis declaretur.

De munere, & auctoritate Vicarij Generalis.

C A P. X I.

Vicarium Generalem iuxta formam supra Cap. de electione maiorum officialium præscriptam eligere oportebit, virum ea probitate, & virtute insignem, quam summa officij huius cum primaria Congregationis administratione, Præpositi Generalis munere coniunctio postulat.

Vicarij officium vltra triennium non prorogetur, etiam si per aliud triennium Præpositus Generalis confirmaretur. Quod si Præpositus Generalis primo vel secundo vtriuslibet triennij anno è vita migraret, vel alia causa officio cedere,

deret, dummodo à die vacationis ad tertiam Dominicam post Pascha sexaginta dierum spatium intercedat, Vicarius Generalis Capitulum in dictam diem Dominicam indicet. Si verò spatium sit breuius, cum voto Consiliorum, & Assistentium respectiuè protrahet seruatis, quæ in Capitulis Generalis indictione seruanda mandauimus: ita tamen vt semper prædictum sexaginta dierum spatium intersit, & Capitulum ante vigesimam primam diem Maij omnino inchoetur. Quod si id fieri non possit tunc in annum sequentem, & Vicarij munus prorogatum censeatur, & Capituli conuocatio ad consuetum tempus differatur. Sed qui Præpositus Generalis eligetur, is non ad completum triennium, sed ad explendum inceptum triennium eligatur. Et si Vicarius ipse, aut aliquis alius ex maioribus officialibus fortè ad Generalatum promoueatur, tunc nouus per electionem substituatur Officialis, qui cum nouo Generali tempus, & munus expleat. Quotiescumque Præpositi Generalis munere Vicarium ipsum Generalem defungi contigerit, simul cum auctoritate suprema honor, reuerentia, & obedientia, quæ totius Congregationis Præsuli debetur, illi ab omnibus vbique exbibeatur, tituloque multum Reuer. Patris nostri tum in literis, tum in colloquijs à Nostris prænotetur.

Si ipsum Vicarium Generalem obire, vel alia causa officio cedere eueniret, tunc ex Visitatoribus professione maximus ipso iure, & facto succedet vsque ad proximum Definitorium, in quo duabus suffragiorum partibus consentientibus, nouus creabitur Vicarius: id quod etiam de reliquarum Definitorij dignitatum electione in huiusmodi casibus statutum sit

Si vterque, Præpositus scilicet, & Vicarius Generalis mortem obirent, vel alia causa officio cederent; tunc ex Visitatoribus professione antiquior ipso iure, & facto cum

Genera-

Generalitia auctoritate, & honore, titulisque, vt diximus de Vicario Generali, succedet, idemque in Capitulo Generali Præsidis officium, & munus exercebit.

Iam verò Vicarij Generalis munus erit Capitulo vsque ad Præpositi Generalis creationem, vel confirmationem præsidere: si Præpositus Generalis absit, si infirma vtatur valetudine, illius personam gerere, & vicem sustinere cum omni Præpositi Generalis auctoritate.

Eiusdem erit Definitoriū (si de Præpositi Generalis depositione agendū sit) conuocare: proximè post Consiliarios in Capitulo, & Definitorio sententiam dicere: visitare loca à Pręposito Generali eidem designata, ac proinde Visitatoris onus, & munus obire: si Visitatorum aliquis è viuis excesserit, aut fuerit impeditus, loca illi subiecta cum ordinaria Visitatoris potestate inuisere, nisi aliter Præpositus Generalis iustis de causis statuerit; denique ea peragere vniuersa, quæ nostrę Constitutiones ad eum spectare decernunt, & communicare illi voluerit Præpositus Generalis.

Sigillum etiam proprium deferat cum insignibus Religionis, quod sequentia verba circumscripta habebit. VICARIVS GENERALIS CONGREGATIONIS SOMASCHAE, ET DOCTRINAE CHRISTIANAE IN GALLIA.

De qualitate, & munere Consiliariorum.

CAP. XII.

DVo Consiliarij ea ratione, quæ supra tradita est, ab vniuerso Capitulo eligentur triennio duraturi: & cum præcipuè optimi Consiliarij virtutes sint

ſint probitas , & prudentia, & hæc quidem vſu, illa verò virtutibus, diuina auxiliante gratia, comparetur, id maximè propoſitum ſit Electoribus, vt eos Conſiliarios eligant, qui multorum annorum vſu, & experientia Congregationis noſtræ inſtituta probè nota habeant, & magnum virtutis ſpecimen ediderint.

Fidelitas etiam Conſiliarios maximè decet, vt pro veritate omnia conſtanter dicant, vt quæ in conſultationem, & deliberationem venerint, quæuè ipſi ſenſerint, ſecretò tegant, & cum Præpoſitus Generalis, ipſorum prius audita ſententia, aliquid conſtituerit, illius iudicio humiliter acquieſcant. Quamobrem illud in primis diligenterque cauebunt, ne ſe aut decretum aliquod approbaſſe, aut aliter quoquo modo ſenſiſſe extra conſultationem proferant: quin potius Superioris conſilium tanquam omnibus ratum, probatumque tuebuntur, & commendabunt: ſi tamen non parui momenti negotium agatur, & re diligenter conſiderata, fuſis etiam ad Deum precibus, adhuc à Præpoſiti Generalis conſilio ſuam viderint ſententiam diſcrepare, Vicarium Generalem adhibebunt, cuius ſententia ſi cum ipſorum voluntate conſentiet, ea qua decet modeſtia Præpoſitum Generalem admonebunt, vt à propoſita ſententia diſcedat: ſin minus, ſe id ad Definitorium ſuo tempore relaturos.

Ea verò libertate ſententiam dicent, vt tamen charitatis Chriſtianæ memores in ſuo ſenſu nimium abundare non videantur.

Conſiliariorum munera hæc ſunt, Capitulo Generali, Definitorio, & vbicumque opus fuerit ſemper adeſſe, & tã Capituli, quàm Definitorij auctoritatem tueri.

Prępoſitum Generalem, ſi quid ipſum de victu, de cultu de Congregationis adminiſtratione monendum cenſuerint, Deum prę oculis habentes modeſtè, ac humiliter commo-

nere: in officio sibi inuicem præsto esse. Ea denique agent omnia Consiliarij, quæ ad ipsos spectare Constitutiones decernunt.

E duobus Consiliarijs ille sit maior, qui professione sit antiquior: & si ambo professione fuerint æquales, qui præcesserit ætate, præcedat etiam loco.

De qualitate, & munere Visitatorum.

C A P. X I I I.

ETsi visitandi munus Præpositi Generalis proprium est, ad diuturnam tamen regularis disciplinæ conseruationem, & ad totius administrationis onus faciliùs sustinendum Capitulum Generale præter Vicarium Generalem, tres viros idoneos, publicæ salutis, & Constitutionum seruandarum studiosissimos eliget ad triennium ratione, quæ supra præscripta est, quos nullo Præpositi, seu Rectoris onere premi, quantum fieri poterit, exoptamus.

Biduo post accessum ad loca, quæ visitaturi sunt, communi vtentur mensa: chorum frequentabūt: sacrum Missæ mysterium quotidie celebrabunt: suoq; docebunt exemplo curam omnem, & cogitationem in eo se defixisse, vt salua, & integra retineatur in Congregatione disciplina.

Vnaquæque ex Prouincijs, in quas commode Congregatio nostra diuidi potest, suum habeat Visitatorem, qui loca à Præposito Generali illi ad visitandum destinata, semel in anno lustrabit, tempore, & cum socio Sacerdote ab eodem designando.

Hic Præpositum Generalem hortamur in Domino, vt quantum fieri poterit, anno suæ visitationis generalis excepto, in certo aliquo Collegio domicilium sibi eligat, &

Visi-

Visitatorum vnumquemque suam in propria Prouincia visitationem obire æquo animo patiatur.

Visitatorum auctoritas, etiam extra visitationem hæc erit, nimirum processus (quos vocant) informatiuos in rebus grauioribus conficere, testes examinare, reum constituere, carceri mancipare, & alia id genus facere, quæ à Constitutionibus decernuntur, vsque ad definitiuam sententiam exclusiuè.

Omnibus suis subditis in virtute sanctę obedientiæ aliquid præcipere, censuris eosdem ligare, & ab ijsdem soluere: statuta salutaria Constitutionibus, ac decretis Capituli Generalis, vel Definitorij non aduersantia, prout cuique loco conducere sibi visum in Domino fuerit, condere; rationes accepti, & expensi exigere, diligenti examine percurrere, & rationum libris subscribere.

Personas intra suam Prouinciam degentes ob necessariã aliquam, vrgentemq; causam, quæ moram non patiatur, ad alium eiusdem Prouinciæ locum destinare.

Ea denique omnia agere, quæ Constitutiones passim, vel Præpositus Generalis illis concesserit.

Visitatorem ad loca nostra visitationis gratia aduentantem statim pulsato tintinnabulo postquam in Ecclesia de more paulisper orauerit, cuncti hilariter, & reuerenter excipient, & ad benedictionem petendam in cubiculum ipsi religioso apparatu instructum conuenient, quos ille ad osculum manus, & religiosum complexum amanter, benigneque recipiet. Quod item faciendum erit, & maiore cum reuerentia, & honore in aduentu Prępositi Generalis.

Visitator cubiculum ingressus, receptisque, ad benedictionem, & ad osculum manus singulis ea in domo commorantibus, Superiorem rogabit, numquid sit, quod in præsens necessarium exposcat remedium, illudque protinus adhibebit.

Cum sibi opportunum visum fuerit, professos omnes cō uocari iubebit, & dicto Hymno. *Veni creator spiritus, &c.*

Vers. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur* Resp. *Et renouabis faciem terræ.*

Vers. *Memento congregationis tuæ.* Resp. *Quam possedisti ab initio.*

Vers. *Domine exaudi orationem meam.* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per *Christum Dominum nostrum. Amen.*

Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum, vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. Per *Christum Dominum nostrum.* Amen.

Literas commissæ sibi prouinciæ à Collegij Cancellario, si adsit, vel à primo Vocali post Superiorem perlegi iubebit.

Tum breui oratione eos ad verum in rebus ad visitationem spectantibus integrè sincereq. aperiendum adhortabitur, admonebitque, ne vindictę studio, aut alterius rei affectione moti ea dicant, quæ silenda forent, aut contra quę dicenda essent, sileant; præterea quatenus expedire censuerit, huius rei necessitatem per præceptum imponet; docebit, quæ ad fraternam charitatem, & correctionem pertinere Doctores communiter asseuerant, ne fortè zelus sine legis scientia charitatem euertat, aut perturbet. Tum talionis pœnam indicet iis, qui in probationibus defecerint: Quod si ad maiorem ipsorum consolationem aliquid

præ-

præſente ſocio exponere voluerint, liberum erit vnicuiq; id facere.

Viſitationem à rebus ſacris inchoabit. Itaque templum ingreſſus, clauſis ianuis, quà populus ingredi conſueuit, videat, qua cura, & diligentia auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, oleum infirmorum, aqua baptiſmalis, & cetera ſacramentalia, ac Sanctorum etiam reliquiæ aſſeruentur: num Altaria mappis ornata ſint mundis, lapideq. ſacro rite munita: an confeſſariorum ſedes idoneas habeant crates: an Miſſarum obligationibus perfectè ſatisfiat, & demum ea omnia, quæ tum in templo, tum in ſacrario ad diuinum ſpectant cultum, diligenter ſcrutabitur.

Antequam ſubditos alloquatur, ab aliquo Patre Vocali Capituli Generalis, ſi adeſt, vel ab aliquibus ſenioribus rerum omnium tàm ſpiritualium, quàm temporalium, domus, perſonarumque ſtatum, ac viuendi rationem curabit edoceri, & vt ſibi viſum fuerit expedire, huiuſmodi prænotiones ſcriptis conſignabit, quas tamen, ne in aliorum manus incidant, accuratiſſimè cauebit.

Quibus diligenter expenſis, ac de ſingulorum actionibus, ac ſtudijs breui etiam à Superiore edoctus, indicem perſonarum iuxta profeſſionis ordinem conſcriptum accipiet: tum ſingulis ad ſe per certum miniſtrum accitis, ea beneuolentiæ, charitatiſque exhibebit argumenta, vt nemini obmurmurandi, aut male de ſe ſuſpicandi anſam præbeat.

Hinc prudenter ab vnoquoque ſciſcitabitur, quomodo corpore, ac viribus valeat, an libenter in illa domo degat, numquid ſibi ad victum, veſtitumq; deſit, numquid ad ipſius ſpirituale ſolatium, vel inſtitutionem ſpectans proponere velit: quonam modo obedientiæ ſanctæ, Superioris voluntati promptum ſeipſum agnoſcat, & huiuſmodi pleraque.

Quod

Quod verò ad alios attinet, rogabit qua ratione Superior erga ſubditos ſe ſe gerat: an rectè ille in omnibus rebus ſuo fungatur officio; numquid in illo correctione dignum aduerterit: num aliquem ſuſurronem, vel inobedientem norit: an inter ſubditos ſit concordia: num quis de nimia familiaritate ſit ſuſpectus: ſint ne in eo Collegio aliqui, qui vel à Superiore, vel ab alijs in omnibus rebus plerumque diſſentiant: quonam modo Conſtitutiones, atque etiam decreta Capituli, Definitorij, aut Præpoſiti Generalis, & Viſitatoris, vel Superioris ſeruentur: qualis ſit omnium in Dei via, timore, ac pietate, atque etiam in literis progreſſus.

Aliquid contra Superiores, vel alios deferenti non facilè aſſentietur Viſitator, ſed diligenter animaduertet, accurateque circumſtantias omnes perpendet: ſin aliquid grauius in alijs præter Superiorem deprehenderit, re cum ipſo Superiore, & cum ſocio Viſitationis cõmunicata, quid facto opus ſit, deliberabit: quòd ſi res eiuſmodi ſit, vt dilationem patiatur, Præpoſitum Generalem conſulet.

Abſoluta perſonarum viſitatione, ſingulorum cellas perluſtrabit in id maximè incumbens, vt ſeruetur communitas, vt habita religioſæ paupertatis ratione, nihil cuiquam ſuperſit, aut deficiat, neve ſit in ijs aliquid, quod religioſum virum minus deceat.

Communia etiam conclauia, & officinas obibit, & inuiſet; Sacrarij, Bibliothecæ, & publicæ ſupellectilis indices diligenter perleget, & comparari quamprimum à Superiore iubebit, quæ vt communi omnium ſuppleatur indigentiæ, opus eſſe iudicabit.

Poſtremò Superioris cubiculum ſerutabitur: arcam, qua pecuniæ recondũtur, aperiet, & has coram Superiore, & Procuratore numerabit, libros rationum expoſcet, atque rationes accepti, & expenſi accuratè ſubducet, & examinabit

nabit, quibus pro vt prudentiæ iustitiæque consonum videtur, subscribet.

Antequam libros Superiori restituat, iureiurando Superiorem, & Procuratorem adiget, vt æs alienum, si quod domus illa contraxerit, & pecuniam omnē fideliter detegant. Forma iuramenti hæc erit.

Ego N. Collegij, vel Academiæ, aut domus sancti N. talis Ciuitatis, vel oppidi Deum testor, & Iesum Christum Crucifixum, quem mihi opto in hora mortis propitium, quòd Reuerendæ Paternitati tuæ omnia debita, & credita, & omnem pecuniam huius Collegii, siue domus, fideliter indicabo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Tum Visitator si quid circa bonorum temporalium administrationem, vel rationum libros admonere Superiorem & Procuratorem domus operæpretium duxerit, hoc loco admonebit: mox scriptum conficiet, in quo singillatim exprimantur incerti iuxta ac certi domus illius annui prouentus, & expensæ: quidquid ibi annonæ, æris alieni, & pecuniarum reliquerit, item eleemosynæ alicuius momenti intuitu cuiuspiam ex Nostris illi domui, vel Ecclesiæ erogatæ; similiter, & reditus per Superiorem vel per alium quemcumque nuper acquisiti: Missarum, & anniuersariorum obligationes: impendia in fabricam, vel in supellectilem, siue sacrã siue pro nostrorum vsu, si notabilem summam attigerint, & scriptum huiusmodi à Superiore, & à Procuratore sua manu obsignatum, iuratumque secum ad Definitorium deferet, cuius interim exemplar statim ad Præpositum Generalem mittet.

His peractis, atque ijs, de quibus in ipso Visitationis actu admonitus fuerit, siue ad personarum statum spectent, siue ad domus administrationem; accuratè perpensis, præuia oratione, ac diuino sacrificio, quid notorium, quid probabile sibi visum fuerit, diligentiùs adnotabit.

Si

Si quem in culpas minimè leues (qua de re ipse viderit) non omnibus tamen notas lapsum fuisse deprehenderit, coram Superiore illum arguet, pœnamque pro delicti magnitudine infliget. Superiorem verò eiusdem culpæ reum coram aliquo prout melius ipsi videbitur, benignè, sed seriò corriget.

Tandem decretis, si quæ erunt facienda, cum Superiore illius domus communicatis, Capitulum Collegiale conuocari iubebit, in quo de spirituali animæ quasi renouatione, de religiosę perfectionis, virtutumque omnium, præsertim charitatis, ac pietatis studio breuem, sed grauem orationem instituet, qua perorata, omnes & singuli genibus flexis exteriores culpas confitebūtur, & pro culparum grauitate correptionem, & pœnam à Visitatore impositam ęquo animo suscipient.

Corrigere autē debebunt Visitatores culpas omnes, quę corrigi possunt, nec eas ad Definitorium deferre, nisi ex earum suppressione graue aliquod detrimentum Congregationi timeatur, quod idem de prauis propensionibus statutum sit.

Nouissimus omnium Superior domus, quacumque dignitate insignitus sit (solum enim Præpositum, & Vicarium Generalem eximimus) reliquis tum stantibus culpas suas ad Christianę humilitatis exemplum, & solamen conscientiae accusabit, & vt sibi pœnitētia irrogetur, suppliciter rogabit.

Demum Visitator decreta facta perlegi clata voce, eaque in libro actorum Collegij scribi mādabit, quæ succedentibus Visitatoribus exhiberi debebunt.

Capitulo dimisso Visitator, quantum in ipso erit, contendet, vt pacis, tranquillitatisque bonum familiæ, quam inuisit, ita relinquat, vt post ipsius discessionem auctum illud mirum in modum omnes intelligant.

Quapropter visitatione absoluta, per aliquot dies ea in-

do-

domo poterit commorari, quibus diebus subditos benignè alloquetur, atque in Domino consolabitur.

Illud tamen ob oculos sibi potissimum proponet, ne dum satis subditis facere cupit, eos in religiosæ vitæ obseruatione negligentiores, aut ergà Superiorem minus obsequiosos reddat: quin potius Superioris causam vbique tuebitur, illiusque dicta, & facta omnia æqui, boniq. facienda subditis persuadebit.

Interim visitationem habitam, in qua vniuscuiusque mores à Superiore illius loci ducto initio, ingenij facultas, habilitasque, & cetera huiusmodi contineantur, duplici in scheda exscribere, & manu propria obsignare teneatur, & harum alteram ad Præpositum Generalem quamprimum poterit mittat; alteram verò apud se retineat; Definitorio suo tempore producendam.

Quamquam autem Visitatorem patris potius, quàm iudicis personam agere, præsertim erga imbecilles, & infirmos volumus: si quem nihilominus inter fratres, aut (quod est grauius) inter Superiores, & subditos dissensionum, ac discordiarum, vel publici scandali auctorem deprehenderit, in eum ita grauiter animaduertet, vt illius correctio ad cõtinendos in officio ceteros plurimum conducat.

Sumptus in visitatione, moderatè tamen faciendos (qui à Definitorio præscribentur) loca visitanda suppeditabunt.

Pecuniæ pro viaticis acceptæ rationem, & quidquid ab impensis itinerum Visitatoribus superfuerit, Præposito Generali, & illius Consiliarijs reddere fideliter teneantur.

Munera nulla à quouis ex Nostris, ne post visitationem quidem, liceat Visitatori accipere; nec item quidquam de locis, & personis quas inuisit, nisi virtutes, & bona alibi enuntiare, aut euulgare.

Superiores locorum, vbi residere Visitatores contigerit, humaniùs cum ipsis agent, concordiæ omnibus in rebus,

& quieti ſtudentes: meminerint etiam in ijs, quę ad Viſitatorum munus attinent, ſe nihil omnino iuris obtinere.

Viſitatores autem in primis muneri ſuo, deinde ijs, quae ad regularem ſui Collegij, ſeu domus diſciplinam referuntur, ſatisfacere debebunt, neque vllum interim ius illis in locis, in quibus reſidebunt, exercere eis liceat, niſi vbi neceſſitas, vel Superioris conſenſus id exigat.

Eorum vnuſquiſque ſigillum habeat, in quo inſculpta ſint inſignia Religionis, & ſequentia verba circumſcripta legantur. VISITATOR CONGREGATIONIS SOMASCHAE, ET DOCTRINAE CHRISTIANAE IN GALLIA.

De munere, & auctoritate Prouincialis Galliæ.

C A P. X I V.

PRouincialis Galliæ ex duobus, vel tribus à Prouinciali Capitulo nominatis, ſeu propoſitis poſt Viſitatores ſtatim, & eadem vt ſupra, ratione eligetur.

Communis illi cū alijs Viſitatoribus erit auctoritas præter eam, quæ in literis ſuper vnione facta à ſummo Pontifice conceditur, vel illi communicabitur à Præpoſito Generali pro rerum occaſione, & varietate, ac locorum diſtantia.

Nouitios vt recipere poſſit, Collegijs deſtinatis poteſtatem faciet: eoſdem per ſe, vel per locorum Superiores ad profeſſionem admittere debebit.

Locum intra Prouinciam pro reſidentia ſua eliget, quem maximè opportunum muneri exercendo iudicauerit.

Capitulo Generali cum vtroque ſuffragio intererit. Eius officium per triennium durabit.

Si eueniat Prouincialem Galliæ diem obire vltimum, eo casu Superior professione senior censeatur electus.

Sigillum habeat, cui impressa sit Iesu Christi crucem gestantis effigies, & circumscripta hæc verba PROVINCIALIS GALLIAE CONGREGATIONIS SOMASCHAE, ET DOCTRINAE CHRISTIANAE.

Capitulum Prouinciale mense Septembri præcedente Capitulum Generale conuocabit, cui præter Prouincialem interesse debebit quilibet Superior localis vna cum Socio, seu discreto à Capitulo cōuentuali eiusdem loci, dummodo sex saltem ibi resideant, eligendo.

Archiuium commune scripturarum statuatur in domo per Capitulum nominanda, & illius claues è manibus Superioris numquam exeant: in singulis etiam domibus Archiuium sit, & scripturæ in eo diligenter asseruentur.

Acta Prouincialis Capituli in librum Cancellarius referat: liber in Archiuio custodiatur.

Capitulum Prouinciale Superiores eligere, deponere, & eosdem confirmare possit, prout melius è publica re, & commodo visum fuerit: sed nisi necessitas, vel vtilitas maxima vrgeat hortamur, ne triennium in eodem loco Superioribus prorogetur.

Super natalium defectu ad dignitates in Prouincia consequendas cum professis, & ad habitum Religionis suscipiendum cum Nouitijs dispensare valeat.

Exemptiones ex præscripto Constitutionum concedere: Decreta pro bono Prouinciæ regimine condere: personis assignare loca, munera, & officia: locum pro Capitulo Prouinciali proximè congregando determinare.

Duos aut tres spectatæ probitatis, & prudentiæ Patres per vota secreta nominare, nominatos Capitulo Generali præsentare, vt ex ijs vnus ad Prouincialatum eligatur: item

& quieti ſtudentes : meminerint etiam in ijs, quę ad Viſitatorum munus attinent, ſe nihil omnino iuris obtinere.

Viſitatores autem in primis muneri ſuo, deinde ijs, quae ad regularem ſui Collegij, ſeu domus diſciplinam referuntur, ſatisfacere debebunt, neque vllum interim ius illis in locis, in quibus reſidebunt, exercere eis liceat, niſi vbi neceſſitas, vel Superioris conſenſus id exigat.

Eorum vnuſquiſque ſigillum habeat, in quo insculpta ſint inſignia Religionis, & ſequentia verba circumſcripta legantur. VISITATOR CONGREGATIONIS SOMASCHAE, ET DOCTRINAE CHRISTIANAE IN GALLIA.

De munere, & auctoritate Prouincialis Galliæ.

CAP. XIV.

PRouincialis Galliæ ex duobus, vel tribus à Prouinciali Capitulo nominatis, ſeu propoſitis poſt Viſitatores ſtatim, & eadem vt ſupra, ratione eligetur.

Communis illi cũ alijs Viſitatoribus erit auctoritas præter eam, quæ in literis ſuper vnione facta à ſummo Pontifice conceditur, vel illi communicabitur à Præpoſito Generali pro rerum occaſione, & varietate, ac locorum diſtantia.

Nouitios vt recipere poſſit, Collegijs deſtinatis poteſtatem faciet: eoſdem per ſe, vel per locorum Superiores ad profeſſionem admittere debebit.

Locum intra Prouinciam pro reſidentia ſua eliget, quem maximè opportunum muneri exercendo iudicauerit.

Capitulo Generali cum vtroque ſuffragio intererit. Eius officium per triennium durabit.

Si

Si eueniat Prouincialem Galliæ diem obire vltimum, eo casu Superior professione senior censeatur electus.

Sigillum habeat, cui impressa sit Iesu Christi crucem gestantis effigies, & circumscripta hæc verba PROVINCIALIS GALLIAE CONGREGATIONIS SOMASCHAE, ET DOCTRINAE CHRISTIANAE.

Capitulum Prouinciale mense Septembri præcedente Capitulum Generale conuocabit, cui præter Prouincialem interesse debebit quilibet Superior localis vna cum Socio, seu discreto à Capitulo conuentuali eiusdem loci, dummodo sex saltem ibi resideant, eligendo.

Archiuium commune scripturarum statuatur in domo per Capitulum nominanda, & illius claues è manibus Superioris numquam exeant: in singulis etiam domibus Archiuium sit, & scripturæ in eo diligenter asseruentur.

Acta Prouincialis Capituli in librum Cancellarius referat: liber in Archiuio custodiatur.

Capitulum Prouinciale Superiores eligere, deponere, & eosdem confirmare possit, prout melius è publica re, & commodo visum fuerit: sed nisi necessitas, vel vtilitas maxima vrgeat hortamur, ne triennium in eodem loco Superioribus prorogetur.

Super natalium defectu ad dignitates in Prouincia consequendas cum professis, & ad habitum Religionis suscipiendum cum Nouitijs dispensare valeat.

Exemptiones ex præscripto Constitutionum concedere: Decreta pro bono Prouinciæ regimine condere: personis assignare loca, munera, & officia: locum pro Capitulo Prouinciali proximè congregando determinare.

Duos aut tres spectatæ probitatis, & prudentiæ Patres per vota secreta nominare, nominatos Capitulo Generali præsentare, vt ex ijs vnus ad Prouincialatum eligatur: item

Socium vnum eligere, qui simul cum Patre Prouinciali intererit Capitulo Generali cum vtroque suffragio, & reliqua peragere quæ in literis vnionis continentur.

Munus erit Prouincialis de celebratione futuri Capituli Præpositum Generalem opportunè commone facere, & de singulis, quæ in Capitulo peragentur, quæque in Prouincia notatu digna occurrerint ad eum scribere; eumdem rebus in arduis, vbi commodè poterit, consulere: tandem omni studio contendere, vt etiam in disiunctis Prouincijs vinculo charitatis, & societatis coniuncti sint animi; & vt in domo Domini ambulemus omnes cum consensu.

De qualitatibus, & munere Definitorum.

C A P. X V.

Definitores quatuor regulariter eligentur ea ratione, quæ de ceteris Officialibus præscripta est, ijq. non modo experientia, & probitate, sed etiam eruditione quantum satis erit exculti, triennio duraturi.

Eorum munus erit Capitulo Generali, vel Definitorio, cum commodè poterunt, adesse; si quæ ad Capitulum, vel Definitorium reijciantur; si quæ inter subditos controuersiæ, vel aduersus Superiores, vel etiam inter Vocales oriantur, ea omnia, sola facti veritate inspecta, cognoscere, & pro rerum grauitate Præpositi Generalis, Vicarij, & Consiliariorum iudicio definire, vel Definitorio definienda proponere.

Eorumdem etiam erit oratione, & consultatione præmissa, quidnam literis ad Capitulum, vel Definitorium missis rescribendum sit, videre: rerum summam cum Præposito Generali ante communicatam, atque ab ipso probatam Cancellario scriptam deferre.

Præterea ijs in locis, vbi ſuum domicilium habuerint; diſciplinæ regularis, ceterarumque virtutum præbere ſtudebunt documenta Superioribus conſilio,& ope adeſſe: ea denique præſtare omnia, quæ ad ipſos pertinere in Conſtitutionibus noſtris decernitur.

De qualitatibus, & munere Procuratoris Generalis.

CAP. XVI.

TOtius Congregationis Procurator à toto Capitulo Generali eligetur is, in quo probitas vitæ, morũ integritas, in negotijs tractandis prudentia, in omnibus naturalis quędam ingenij dexteritas reperiatur, qui denique eo animo erga Congregationem ſit, vt eiuſdẽ negotia magno ſtudio, ac fide procuraturus eſſe videatur.

Vt autem Congregationis negotia diligenti aſſiduitate tractare valeat, declaramus in ijs, quæ ad ſuum munus pertinent ipſum, non eſſe Superiori locali ſubiectum, & eſſe à communibus obſeruantijs immunem.

Peculiarem tamen ſocium laicum profeſſum notæ probitatis, qui loquendi, & tacendi tempus prudenter nouerit, eidem Superior Collegij aſſignet.

Tantum autem habebit auctoritatis, quantum à Patribus vniuerſis in generali Capitulo fuerit illi conceſſum; & procurationis mandatum publicè in Capitulo Generali à Cancellario legatur, & in librum Actorum Capituli Generalis referatur.

In actu Viſitationis Viſitatoribus & ipſe ſubiectus ſit in ijs, quę priuatas ipſius actiones reſpiciunt, non in ijs quae ſpe-

ſpectant ad officium iiſdemq; accepti; & expenſi reddere rationem teneatur.

Quæcumque conceſſiones, aut Apoſtolicæ literæ pro Congregatione, Collegio, domo, vel priuata aliqua perſona impetrandæ erunt: quæcumque lites noſtræ, & quicumque contractus externi Romana in Curia ineundi ad Procuratorem tantùm, prætèrea ad neminem attinebunt.

Quæ verò ad vniuerſum Congregationis ſtatum referuntur, aut Conſtitutiones reſpiciunt, non aggrediatur, niſi habita nominatim à Capitulo Generali, vel à Definitorio facultate.

Nihil prætetea aliud, quàm quæ modo meminimus, niſi approbante, & mandante Præpoſito Generali, prçſtabit.

Excipimus tamen hic, quæ ad internum conſcientiæ forum, vel ad indulgentias impetrandas pertinere videntur. In quibus ea prudentia ſe geret Procurator, vt publicum Congregationis commodum priuatæ ſemper vniuſcuiuſque vtilitati præferat.

Congregationis noſtræ profeſſi Vrbem adeuntes nulli negotio, niſi de Prçpoſiti Generalis, vel Procuratoris Generalis conſenſu ſe immiſceant, exceptis iis quæ pertinent ad forum internum.

Si Præpoſitus Generalis rem aliquam conſultatione dignam arbitrabitur, Procuratoris rogabit ſententiam, qui eã dicet, vel ſcribet, & rationibus, quibus ad id ſentiendum adducitur, confirmabit.

Omnem Congregationis ſtatum exploratum habeat: idcirco ſi quid noui in Collegiis, aut aliis locis acciderit, quod ad illius officium ſpectare poſſit, à Superioribus illorum locorum ſtatim per literas eidem ſignificandum erit.

Bullas authenticas, & inſtrumenta fundationis, erectionis, & acceptationis quorumcumque locorum Congregationis noſtræ apud ſe habebit.

Rebus

Rebus ijs quàm maximè inuigilet, quas ad publicam Congregationis vtilitatem pertinere animaduerterit, & per singulos tabellarios in singulas hebdomadas de rerū, ac negotiorum statu, & euentu Præpositum Generalem commonefaciet.

Bullarum, Breuium, scripturarumq; omniū alicuius momenti, quę in Archiuio asseruantur, indicem conficiet, atq; omnia distinctè, & ordine disponet, ac custodiet.

Summam omnium negotiorum, & libellorum supplicum, quæ ad ipsum mittuntur, eorumq; progressum, ac exitum in librum referet, diligenterq; describet, & annum, mensem, ac diem notabit, quem suo successori fideliter vt consignet districtè præcipimus.

Bullarum, Motuum propriorum, ac Breuium, quę in dies à Pontifice Maximo eduntur, exemplaria aliquot emet, & primo quoque tempore ad Præpositum Generalem, & ad Visitatores singula transmittet, quorum deinde transumptum, & ipsi Visitatores suę Prouinciæ Superioribus deferendum curabunt.

Ad eos qui negotia aliqua ipsi commiserint, eorumdem negotiorum statum, atque exitum diligenter, & benignè rescribet.

Summam pecuniarum, quas à Præposito Generali, vel ab alijs Patribus ad res gerendas, & negotia transigenda acceperit, necnon sumptus in ipsis factos, fideliter ac distinctè (à quibus videlicet singillatim pecunias acceperit, quas in res insumpserit, & cetera huiusmodi) in libellum referet, vt dati & accepti ratio, eo etiam absente, subduci possit, simulq. cognosci quantū ex alterutra parte debeatur.

Caueat ne pecuniam sibi concreditam, Prępositi Generalis iniussu, in alia quamuis honesta, & vtilia impendat, & pręterquam in ea, quorum causa à Præposito Generali, vel ab alio quouis sibi tradita fuerit.

In

In virtute autem Spiritus sancti, ac precepto sanctæ obedientiæ, sub pœna etiam priuationis officij ipso facto incurrenda, & alijs pœnis à Definitorio irrogandis, Procuratorem Generalem adstringimus, ne literas vllas, aut viuæ vocis oracula sine expresso Capituli Generalis mandato, etiam eiusdem Congregationis, seu alio quocumque nomine mediate, vel immediate petat, quærat, aut impetret, quibus Congregationis gubernatio varietur, aut alicuius Constitutionis mutatio contineatur nec huiusmodi literas aut oracula alicui alij impetrare volenti faueat, neq vllum præstet consensum: declarantes irritum, quidquid secus fieri contigerit.

Eumdem præcepto sanctę obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ sententię adstringimus, ne scripturam aliquam, vel processus, seu Bullam Motum, proprium, aut literas Pontificias, seu manu alicuius Cardinalis subscriptas ex Procuratoris Archiuio tollere, & auferre quocumque prætextu non obstante, audeat: quod si facere ausus fuerit, dicto præcepto, & pœnę addatur à Patribus Definitorij priuatio vtriusque vocis per tempus eorum arbitrio, & iuxta culpæ qualitatem constituendum.

Si Procuratorem Generalem aliquo casu deficere contingat, ne publica negotia quidquam detrimenti patiantur, poterit Præpositus Generalis cum consensu Consiliariorum, vel Assistentium vnum ex Vocalibus in eius locum cum ea auctoritate, quæ sibi videbitur, subrogare vsque ad proximè futurum Definitorium, in quo ille confirmabitur cum duabus partibus Suffragiorum, vel alter eligetur.

Sigillo eodem, quo Visitatores, vtetur, verbis sic mutatis: PROCVRATOR GENERALIS CONGREGATIONIS SOMASCHAE, ET DOCTRINAE CHRISTIANAE IN GALLIA.

De

De qualitate, & munere Cancellarij.

CAP. XVII.

CAncellarius à toto Capitulo Generali ratione supra de Officialibus tradita eligetur, qui triennio expleto alteri locum cedet.

Vir erit sermonis parcus, spectatæ fidei, & in literis scribendis non mediocriter versatus, quique pietate simul, ac prudentia pro ijs rebus, quæ sibi mandabuntur, maximè excellat.

Cancellarij munus erit, quæ in Capitulo Generali gesta ac decreta fuorint, vel quæ à Definitorio statuta, in librum Actorum Generalis Capituli manu propria accuratè referre, quibus cum à Præposito Generali priùs fuerit subscriptum, suam & ipse subscriptionem apponet.

Volumus autem vt acta, & decreta, quæ in Capitulis, & Definitorijs peragentur, à Cancellario subscripta vim apud nos habeant publici instrumenti.

Idem ex eodem libro acta ipsa ad Procuratorem Generalem mittenda exscribet, sigillo publico obsignabit, ac Præpositi Generalis subscriptioni suam, & ipse adscribet.

Literas præterea vndequaque ad Capitulum seu Definitorium missas accipiet, ad Præpositi Generalis, vel Præsidis nutum leget, & summa rerum capita à Definitoribus, vel Consiliarijs, vt supra recepta ad easdem rescribet: literas etiam publicas electionum de more conficiet.

Quatuor apud se habebit libros, quorum in primo acta omnia Capituli, ac Definitorij cuiusque distinctè, & ordinè disposita describet; diligenter cauens sub poena excommunicationis latæ sententiæ, vt ne verbum quidem malitiosè deleat, vel addat, aut immutet, nec ipse, nec alius quilibet

quod sensum inuertat.

In secundo nomina, & cognomina professorum omnium tàm Clericorum, quàm Laicorum, diuersa tamen in parte, ordine professionis seruato, consignabit.

In tertio nomina Vocalium omnium, quo anno, quoque die adscripti fuerint, perscribet.

In quarto Nouitiorum omnium nomina, & cognomina, item quo anno, quo mense, quo die Congregationis habitum induerint, adnotabit.

Duplicem librum Actorum habeat, vnum asseruandum in Archiuio S. Maioli Papiæ, alterum apud se cautè custodiendum. Et sub pœna grauissimæ culpæ constituta, sub formali etiam præcepto sanctæ obedientiæ eidē pręcipimus, ne librum Acta Capitulorum, & Definitoriorum continentem, quem apud se retinuerit, alijs pręterquam Vocalibus ostēdere, aut ex eo aliquid describere, seu descriptū tradere, vel mittere, nisi de licentia Præpositi Generalis, aut Visitatoris audeat. Cui item præcepto ac pœnæ subiacere volumus Præpositum Collegij S. Maioli, si quod Cancellario præsenti Constitutione prohibemus, attētare ipse præsumpserit. Claues Archiuij, quod in Collegio S. Maioli Papiæ asseruatur, penes Præpositum eiusdem Collegij sint, neque alicui vnquā consignentur, qui inter Vocales Capituli Generalis adscriptus non sit.

Hic Capitulo Generali celebrando triduo ante peæscriptam diem aderit, eique cubiculum, cum arca seris bene munita ad scripturas cautè custodiendas assignabitur.

Ea denique omnia præstabit, quæ ipsi passim tribuunt Constitutiones: quibus omnibus vt planè possit cumulatèq; satisfacere Vocalis illi à Præposito Generali socius destinabitur.

De

De ordine, & modo rerum in Capitulo proponendarum.

CAP. XVIII.

ELectionibus maiorum Officialium præſcripta ratione & ordine reſpectiuè abſolutis, ſi quid temporis ad deliberandũ ſupererit, literæ ad Capitulum miſſæ publicè legantur, & audita Conſiliariorum ſententia, reſponſiones ad ea, quæ leuioris fuerint momenti, decernantur.

Res autem grauiores pridiè ſemper, quàm de ijs agatur, omnino proponantur, vt diei vnius ſpatium ad deliberandum concedatur.

Quicumque igitur aliquid proponere voluerit, Cancellarium extra Comitiũ adibit, eidem propoſitiones in Capitulo legendas ſcriptis conſignabit: tùm Conſiliarios conueniet, & rei propoſitæ rationes breui declarabit: ipſi verò Conſiliarij benignè, & patienter auſcultent, nihil tamen reſpondeant, nec vtram in partem propendeant, vllo modo ſignificent.

Præpoſiti Generalis, Vicarij, & Conſiliariorum erit ea, quæ propoſita fuerint, diligenter examinare, an nimirum contra commune bonum, ex ijs, quæ ipſi ſecretò nouerint, aliquid manifeſto contineant, atquè eo caſu propoſitiones reijcient, & proponenti ſilentium modeſtè indicent. Hoc caſu excepto quidquid ab vnoquoque propoſitum fuerit, audiatur.

Hic ordo in rebus proponendis ſeruabitur. Primo loco agendum erit de ijs, quæ ad diſciplinam regularem in Congregationem retinendam, vel reſtituendam, vel ad Dei gloriam augendam conferre videbuntur: atque adeo ſi decre-

ta vlla in celebrato proximè ante Capitulo Generali fuerint constituta, ea primùm proponenda erunt, vt vel comprobentur, vel reprobentur.

Secundo quæ ad animarum salutem pertinent, vtpotè si quod graue detrimentum salutis fratrum in Congregationem irrepserit; si quæ patrata fuerint grauia crimina, & sit periculum, ne eorum contagio latiùs in ceteros peruadat; si qui à religione defecerint, & extra claustra de sua salute nihil prorsus solliciti viuant, & qua ratione reuocari possint, aut eorum saluti possit consuli, & alia id genus.

Tertiò quæ ad Ecclesiarum cultum, & ad ceteras res Ecclesiasticas pertinent.

Quarto si quæ loca erunt recipienda, vel si quæ tamquā proprio instituto minus consentanea dimittenda.

Quinto bona temporalia, vt si quę instrumenta conficiēda, vel confirmanda: si inopiæ alicuius loci subueniendum: si collectæ aliquę ex communi faciendæ, & id genus consimilia.

Ratio proponendi erit huiusmodi. Cancellarius propositionem ipsam scripto traditam voce elata, vniuersis attente audientibus, nihil de suo addendo, vel de scripto detrahendo recitabit: maior Consiliarius vtriusque partis rationes inter se pugnantes in medium afferet, deinde propriam dicet sententiam, postremò oppositas rationes dissoluet.

Secundo loco alter Consiliarius quid & ipse ea in re sentiat, & quibus rationibus adducatur, declarabit, & contrariæ sententiæ rationibus, qua decet modestia, respondebit.

Tertio loco sententiam dicet eadem seruata ratione Vicarius Generalis, & sic deinceps singuli vsque ad nouissimum seruato professionis ordine.

Nouissimus Prępositus Generalis, cui assentiatur parti, & quibus rationibus, commonstrabit.

Si

Si maior Vocalium pars in aliquam conſenſerit ſententiã, ea ſcriptis extra librum à Cancellario conſignata altiori voce ab eodem pronuntiabitur.

Poſt hæc is qui ſuffragijs diſtribuendis fuerit à Præpoſito Generali electus, calculos ſingulos ſingulis diſtribuet, & cadiſco affirmationis & negationis notam præſeferente circumlato, à ſingulis recipiet; poſtremo eumdem ad Conſiliarios deferet, qui calculis palàm, & in omnium conſpectu numeratis, quid maior pars ſenſerit, publicabunt.

Si ſuffragia æqua concurrerint, iterum ad calculos deueniatur: quòd ſi adhuc æqualia deprehendantur ſuffragia, Præpoſito Generali tunc ius ſit duplici vtendi ſuffragio, atque hac ratione ſecretis ſuffragijs firmata ſententia à Cancellario nulla prorſus ex parte immutata ſuo tempore in librum referatur.

Quod autem hic de ſuffragiorum æqualitate ſtatuimus, idem ad quamlibet rem etiam in Definitorijs, & Capitulis Collegialibus, quibus Præpoſitus Generalis intereſt, definiendam obſeruabitur.

In omni conſultatione, ſiue in Capitulo, ſiue extra Capitulum, per Præpoſitum Generalem cum Conſiliarijs, ſiue in Definitorio cum Definitoribus habenda, in qua aliquid definiendum ſit virtute Conſtitutionum, ſecreta ferantur ſuffragia, & quod maior pars cenſuerit, id definitum intelligatur, niſi aliter fuerit in aliquo caſu nominatim determinatum, & à ceteris omnibus etiam contra ſentientibus decreto illi ſubſcribatur. Numquam verò legitimæ ſententiæ ſtatutæ habeantur, etiamſi omnes idem ſentire videantur, niſi ſecretis maioris partis ſuffragijs fuerint confirmatæ, quod & ad alium quemuis tractatum etiam extra Capitulum Generale habendum extendatur, niſi per verbum Placet omnes in eamdem ſententiam conueniant.

Sin propoſitum negotium difficultatibus ſit vſque adeo

inuolu-

inuolutum, vt cum in vna ex pluribus congregationibus fuerit examinatum, nec dum in eo quid ſtatuendum ſit, ſatis liqueat, quatuor, vel ſex ad ſummum ex ijs, qui Capitulo interſunt, per calculos eligantur, & quod ipſis omnibus, vel maiori ipſorum parti viſum fuerit, ab vno ex ipſis ad Præpoſiti Generalis nutum toti Capitulo Generali promulgetur.

Si quis tamen aliter ſentiens voluerit prædictorum rationibus contraire, audiatur; ſed tandem quod prædicti omnes, vel plures ſenſerint, tamquam à Domino dictum, & decretum ab omnibus probetur.

Ratio horum quatuor aut ſex eligendorum hæc erit. Prępoſitus Generalis duodecim Patres nominabit, qui omnes calculis ſubijciantur ordine profeſſionis: qui omnium primus maiorem ſuffragiorum partem ſupra dimidium habuerit, is electus cenſeatur, & cum ſenarius numerus expletus fuerit, reliqui prætereantur.

Pro negotiorum verò grauitate, vel pro alicuius rei plena cognitione habenda, vnum, aut plures Vocales Capitulum eligere poterit, qui vel rem omninò definiant, ſi eidem ita videbitur, vel ad Capitulum definiendam referant.

In ſententijs dicendis verborum ambages omnes deuitētur: ſimplex oratio, nec longior, quàm par ſit, adhibeatur: compoſito corpore, & detecto capite, non tamen aſſurgentes, loquantur, neque altiùs vocem intendant, quàm loci poſtulet amplitudo.

Vnicuique ſemel tantùm ſenſum ſuum proferre liceat, numquam iterare ſermonem: verum ſi res magni momenti ſit, iterum dicere, petita à Patre Generali benedictione, liceat poſtquam ceteri omnes ſuam dixerint ſententiam.

Sermo qualis decet religioſum virum, religioſus ſit ac modeſtus: verbum nullum aſperum, aculei nulli, nullus omninò alterius contemptus, ne geſtu quidem: vnuſquiſque

quod

quod verè ſentit, liberè enuntiet, quo circa nulla cuiuſquam ab vllo interpelletur oratio.

Silentium ita ſeruetur, vt ne ſubmiſſa quidem voce longum colloquium concedatur: dum electiones, & ſcrutina fient, & vota recenſebuntur, mentem ad Deum tollent Patres noſtri, & pio affectu pro ipſo Capitulo deprecabuntur, vel librum aliquem legent, non tamen horas Canonicas perſoluent.

Nemini, à Capitulo egredi, aut proprio loco abire liceat iniuſſu Præpoſiti Generalis.

De Gradibus dignitatum, & ordine ſedendi.

CAP. XIX.

IN Congregatione noſtra præcipua & omnium maxima dignitas eſt Præpoſiti Generalis, ſecunda Vicarij Generalis: tertia Conſiliariorum: quarta Viſitatorum: quinta Prouincialis Galliæ: ſexta Definitorum: ſeptima Procuratoris Generalis: octaua Cancellarij: nona Superiorum localium, ſiue Præpoſiti ſint, ſiue Rectores: nouiſſima Vicepræpoſitorum. Præter has nullam aliam volumus in noſtra Congregatione exiſtimari, aut appellari dignitatem.

In Capitulo Generali Prępoſitus Generalis, peractis electionibus, ſemper medius inter Conſiliarios ſedebit, ante quos menſa erit de more, maior à dextris, minor à ſiniſtris poſt hunc Cancellarius: Vicarius Generalis in propria ſede primus omnium: poſt illum Vocales omnes, tum Socij profeſſionis ordine ſeruato.

Dum habetur Definitorium, Præpoſitus Generalis locum habebit vt ſupra, Conſiliarij itidem: in capite menſæ à dextris

tris Vicarius Generalis, post illum circumstabunt reliqui professionis ordine, non dignitatis seruato; nouissimus sedebit, vt supra, Cancellarius.

Tempore & in loco Capituli, vel Definitorij Vocales, & Socij extra locum Comitij collegialibus omnibus etiam professione antiquioribus præcedant.

Extra tempus verò, & locum Capituli vel Definitorij sedendi ordo ex professionis, non ex ætatis antiquitate seruandus erit; nisi professione aliqui sint æquales: tunc enim inter ipsos ætate maior præcedere debebit.

Præpositus Generalis primus omnium vbique sedeat, post illum Vicarius Generalis. Visitatores, & Prouincialis Gallię in sua similiter quilibet Prouincia: in aliena autem post Superiorem loci, & Romæ post Procuratorem Generalem sedebunt: Procurator Generalis proximè post Superiorem Collegij Romę solùm, sed extra Domum omnes præcedat Superiores, non tamen Vicarium Generalem, neque Visitatorem: Prouisitatores durante eorum officio, Visitatoris locum occupabunt, & cum suo defuncti fuerint munere, ad propriam sedem reuertentur.

In domibus nostris primum locum tenebit Superior, secundum Vicesuperior, deinceps reliqui, etiam si in dignitate aliqua sint constituti, ex professionis ordine.

Vbi verò loci regimen penes Rectores est, nisi à Collegiali Capitulo, vel à Definitorio Vicerector electus fuerit; nisi adsit Vocalis Capituli Generalis, professione maximus & in sedendo, & in administranda domo Vicerectoris locum, & munus subeat.

Clericus sacris initiatus alios non initiatos, quamquam professione antiquiores, præcedat: sed cum isti eodem fuerint ordine insigniti, ad debitum sibi professionis locum ascendent.

Laici professi post Clericos (quamquam Nouitios (Noui-

tij

tij supra Hospites & Aggregatos locum teneant.

Inter Nouitios præcedat, qui primò ad probationem admissus fuerit.

Clericus Nouitius sacris initiatus primus inter Nouitios sedeat; si Sacerdos, vltimus post Sacerdotes professos.

De Definitorio eiusque munere,

C A P. X X.

CVm ab vno ad aliud Capitulũ Generale grauissima negotia accidere soleant, ne congregatio damnum aliquod patiatur, Præpositus Generalis singulis annis intermedijs, Dominica tertia post festum Paschatis Resurrectionis Definitorium cogere debebit, quod tredecim votis constabit, nempè Præpositi Generalis, Vicarij Generalis, vtriusque Consiliarij, trium Visitatorum, quatuor Definitorum, Procuratoris Generalis (si vltra trienniũ confirmatus non fuerit, quòd si fuerit confirmatus eius loco quintus Definitor iam à Capitulo electus assidebit) & Cancellarij.

Quoties autem aliquis ex prædictis deerit, dummodo per literas ad singulos Definitorij Partes missas fuerit & ipse vocatus: Prępositus Generalis, vel eo impedito, is cuius erit Definitorium cogere, & cęteri ex Definitorio prędicto, si tamen senarium numerum expleant, cum maiori votorum parte tot Vocales eligent, quot ad præscriptum numerum tredecim explendum deerunt: qui sic electi fuerint, in eo tantum Definitorio auctoritatem habeant, vltimumq. in consessu locum. Interim autem si qui ex ijs, qui antea Definitorio erant adscripti, superuenerint, nouissimè electi officio cedant.

Quòd si ex Definitorio quispiam perpetuo, aut diuturno aliquo impedimento detineatur, Definitorium duabus ex tribus concurrentibus partibus eligat Vocalem alium loco defuncti, aut alias impediti.

At verò si Prępositus Generalis, vel infirma detentus corporis valetudine, vel alia legitima causa Definitorio interesse non valuerit, Vicarius Generalis primum locum cum tota illius auctoritate obtinebit, & alter ad prædictum numerum explendũ ea vice tantum deligetur, ratione qua su pra. Quòd si Vicariũ quauis legitima causa impeditum esse contigerit, tota illius potestas id temporis ad Visitatorem seniorem transferatur, quæ Definitorio illo dimisso, statim cessabit.

Dominico die, quo inchoabitur, Missa solemnis decantetur à Præposito Generali, vel ab alio ex dignioribus de eius mandato; & in alijs Congregationis nostræ locis piæ ad Deum effundantur preces ad Superioris cuiusque arbitriũ.

Quamuis autem penes Generale Capitulum legitimè cõgregatum summa, & præcipua in omnes, atque omnia Cõgregationis nostræ potestas sit, secundaria tamen penes Definitorij Patres erit.

Spectabit igitur ad Definitoriũ Nouitios recipere, etiã illegitimos, sed istos cũ duabus votorum partibus: Superiores, & alios quosuis locorum Officiales eligere: officij vel dignitatis, ad quam quis electus fuerit, renuntiationem iustis de causis admittere: poenam grauissimam corporalem extra claustra subeundam, quæ infamiam irroget, vel carceris perpetui, siue ad decennium infligere: quæ exemptiones, & quibus vltra annum concedendę sint, declarare: personas omnes de loco ad locum pro arbitrio mutare: Collegia in quibus soli professi degant, Orphanotrophia, atque etiam Academias, vel Collegia, vbi pueri educandi sunt (non tamen Clericorum Seminaria) dummodò domus ipsæ Cõgregationi perpetuò incorporentur, cum duabus Definito-

rij partibus recipere: Præpositum Generalem iusta de causa pro vt supra seruatis seruandis deponere: aggregandos recipere, & alia quæ à Constitutionibus illi tribuuntur.

Conuocato Definitorio iurabunt Patres de secretò tegẽdis ijs, quæ in Definitorio tractabuntur, cuiuscumque illa sint generis, & primus quidem Præpositus Generalis manu libro Euangeliorum apposita iurabit in hæc verba.

Ego N. Præpositus Generalis Congregationis Somaschæ & Doctrinæ Christianæ in Gallia testem inuoco Deum, quòd nihil ex iis, quæ in toto hoc Definitorio peragentur, quæ in alterius præiudicium vergere possunt, & quæ secreta esse Patres decreuerint tempore ab iisdem præscribẽdo, cuiquam patefaciam, aut communicabo: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Eadem ratione respectiuè alij coram Præposito Generali, & ceteris iurabunt; quod in omnibus Definitorijs, etiam tempore Capituli Generalis habendis fiet.

Antequam de rebus in Definitorio tractandis agatur, ipse Præpositus Generalis Definitorio exeat, vt ceteris de ipso libere loqui liceat, & si quid reprehensione dignum deprehensum in eo fuerit, à Vicario Generali corripiatur, imposita etiamsi, ita visum fuerit, pœna à Definitorio toto statuenda: & hoc ipsum præstabunt ceteri Definitorij Patres à Vicario Generali vsque ad nouissimum.

Præmisso iuramẽto primùm literæ ad Definitorium datæ perlegentur, & si quæ faciliora erunt, statim definientur: si quæ verò difficiliorem, & longiorem requirant disquisitionem, in sequentem sessionem eorum definitio differatur.

Solus autem Præpositus Generalis in Definitorio proponet, nihil omnino de suo addens, nec vtram in partem propendeat, indicans: quòd si aliquid relatione dignum à Præposito Generali fuerit prætermissum, licebit, alteri ex Con-

siliarijs, benedictione prius à Præposito Generali petita, proponere.

In dicendis sententijs primus omnium post Consiliarios dicet Vicarius Generalis, deinceps reliqui professionis ordine seruato. Denique cetera omnia seruabuntur; quæ supra cap. de ordine, & ratione rerum in Capitulo proponendarum pręscripta sunt, quę omnia, & singula hic tamquam repetita habeantur.

Nouitij si qui personaliter aderunt, à duobus ex Definitorio Patribus examinabuntur, qui rem ad totum Definitorium verè & sincerè referent, primiq; omnium sententiam dicent. Atque hic Patres nostri ab ijs, quę de Nouitijs recipiendis statuta sunt, nulla ex parte discedent.

Decretis factis, & à Cancellario descriptis ad Superiorū electiones Definitorij Patres accedent, & si qui erunt Superiores, accersentur, vt & schedam Cancellario tradant, in qua omnes tam professi, quàm non professi, sub ipsorum regimine degentes, locorumq; quibus pręsunt, necessitates, & quę ijsdem profutura iudicauerint, descripta sint: tum credita, & summam pecunię, quam reliquerunt in arca Vicesuperiori consignatam, & quam secum detulerunt, & apud se seruant, scripto fideliter exhibebunt Definitorij Patribus.

Post hęc Prępositus Generalis, & Visitatores, si quid erit animaduersione dignum de Superioribus, vel amouendis, vel commutandis, vel promouendis proferent, nihil supprimentes eorum, quæ vt dicantur, saluti publicæ, etiam cum alicuius certæ personæ incommodo, vtile futurum censuerint; nec non locorum necessitates tam temporales, quàm spirituales proponent.

Ante Superiorum electiones caput primum libri tertij nostrarum Constitutionum pręlegatur à Cancellario, & quidquid in illo præscribitur, attentè diligenterque notetur & obseruetur.

Electio Superiorum ab antiquioribus locis ſumet initiũ ; & Scrutatores erunt Prępoſitus Generalis, Conſiliarius minor, & Cancellarius. Emiſſo iuramento ab omnibus de probioribus, & magis idoneis eligendis, ſchedam, in qua Vocales omnes deſcripti ſint , præ manibus ſinguli habebũt: mox eorũ qui ad Superioritates idonei cẽſebũtur, diligẽs à Patribus fiet inquiſitio. Interim in paratis ſchedis illum vnuſquiſque ſcribet, quem nominare voluerit, atque in vrnam mittet: in ſcribendis ſchedis pro Superiorum electione cura diligens adhibeatur, ne ſcriptura ab ipſis etiam Scrutatoribus dignoſci poſſit.

Si in primo ſcrutinio nemo electus reperietur, omnes nominati calculis ſubijciantur, & qui maiorem ſuffragiorum partem ſupra dimidium reſpectiuè obtinuerit, is electus declaretur.

Illud verò in Superiorum electionibus obſeruent Patres, vt qui per triennium Superiores fuerint, à Superioritate eiuſdem loci amoueantur: ſi verò vltra triennium ob grauem aliquam neceſſitatem, vel iuſtam ob cauſam confirmari expediet, quod vt rarò fiat, valdè exoptamus, cum duabus Definitorij partibus prorogatio talis decernatur.

Illi autem erunt eligendi, qui non ambijſſe dignitates, ſed ex intimo humilitatis affectu abhorruiſſe potius exiſtimentur: qui charitate, prudentia, patientia, in rebus agendis dexteritate, virtutum perfectione, religionis zelo ſic inter alios excellant, vt alijs meritò & pręeſſe debeant, & prodeſſe poſſint. Numquam in Superiorem is aſſumetur, qui ab emiſſa profeſſione ſexenniũ non expleuerit; qui proprijs cõmodis, nõ publicę vtilitati deſeruire ſoleat; qui bis à Religione defecerit, vel annũ integrũ, ſeu circiter Apoſtata fuerit; qui pœna grauiſſimę culpæ mulctatus; qui reus à ſanctæ Inquiſitionis officio iudicatus, qui de infideli bonorum temporalium adminiſtratione, aut dilapidatione conuictus

ali-

aliquando fuerit; qui sæcularium hominum, etiam Principum consuetudine delectetur, cum præiudicio, vel Religionis, vel religiosæ disciplinæ.

Nemo qui ob aduersam valetudinem communes Chori, vel Triclinij obseruantias vt plurimum subire nequeat, nisi probitate, prudentia, & rerum experientia defectus illi compensentur, eligatur in Præpositum, vel Rectorem.

Locorum Superioribus electis, si qui Officiales alij, puta Vicepræpositi, vel Parochi eligendi Definitorio videbuntur, hic erit eligendi locus: post quorum electiones de ceteris personis mutandis agetur.

Cancellarius libellum habeat, in quo Concionatores, Confessarij, & Præceptores omnes, ac Clerici tàm in sacris constituti quàm simplices descripti sint.

Caueant autem Definitorij Patres, ne supra vires, & facultates personarum numero loca onerentur, & nimium frequentes fiant earumdem personarum de loco ad locum mutationes. Ceterùm iam factas à Definitorio, quantum fieri poterit, seruandas curet Præpositus Generalis.

De nouis domibus recipiendis.

CAP. XXI.

Noua loca si Capitulo Generali, vel Definitorio proponentur, illud in primis animaduertēt Patres præteriti temporis experientia edocti satius esse fundatis iam bene prouidere, quàm noua recipere, personarum quibus nouis locis est subueniendum, habita ratione. Conuentiones, onera, & qualitates loci, situs videlicet, ædificia, prospectus, vicinia, & huiusmodi diligenter examinentur, an scilicet in ijs aliqua reperiantur, quæ nostris priuilegijs, & religiosæ

ligiosæ libertati, seu decori aduersentur:an ab acceptis domibus temporis progressu vlla de causa eijci possint Patres nostri: redituum temporalium non sola habeatur ratio, sed profectus in vinea Domini,& animarum salutis potissimùm.

Domus nouæ,quoad fieri poterit,fūdētur inVrbibus tātū, vel Oppidis insignioribus:vbi fuerit insalubritas aeris,recusētur,honesta adhibita excusatione:quæ ab alijs Cogregationis locis valdè distāt,rarissimè recipiātur:vbi prouentus annui certi,vel cōsuetę eleemosynę adeo sint tenues:vt duodecim ex Nostris ali non possint,nullo modo. Hæc,vt faciliùs cognoscātur,priusquam proponatur Capituli, vel Definitorij Patribus noui loci receptio, duo ex Nostris à Præposito Generali, si commodè fieri poterit, ad eum videndum destinentur: ij Capitulo, vel Definitorio referent à se visa, & obseruata, ac libro Actorum Capituli Generalis describentur ab ijs narrata, illorum firmata iuramento. Quæ loca Congregationi detrimento esse cognoscent Patres Definitorij, ab ijsdem dimittantur, Capituli Generalis accedente consensu, si tamen tunc temporis Capitulum celebretur.

Noua loca nulli ex Nostris ibi habitaturi adeant, nisi priùs literis Apostolicis, vbi opus fuerit, vel scripturis quibuscumque necessarijs expeditis,ac illarum exemplo à Prępositio Generali recepto.

Orphanorum loca summa animi promptitudine recipiantur, sed cum Protectoribus prudenter agatur.

Extra Definitorij,vel Capituli Generalis tempus possit Pater Generalis cum voto Consiliariorum per literas habendo Collegium aliquod, vel Orphanotrophium recipere, si ita expedire iudicabit, pensatis circumstantijs, quæ supra.

De

CAP. XXII.

VAriatate domorum nostræ Congregationis inspecta non inutile erit, si quis laicus se obtulerit, qui professioni minimè sit idoneus, aptus tamen iudicetur ad seruiendum, maximè in locis Orphanorum, illum nostræ Cōgregationi aggregare. Hoc à Definitorio, vel cum consensu Definitorij à Præposito Generali fiet icto per Notarium fœdere; vt scilicet illum in huiusmodi locis alere teneamur, ipse nobiscum perseuerare, duabus additis conditionibus: quarum altera erit, vt si illius crimina, vel mali mores id merebuntur, à Congregatione expelli possit ad iudicium Definitorij: altera, quod si aliquo casu inopinato eueniat, vt in locis orphanorum à nobis sustentari non possit, in Collegijs nostris huiusmodi Aggregatum alere nullo fœdere obligemur, sed ei fauere apud Hospitalium regentes, vt eum in suam recipiāt tutelam, vel in alio nostro loco orphanorū sustētare. Sacerdotes etiam si ita ad maiorem Dei gloriam, & ad Congregationis commodum expedire videbitur, à solo Definitorio aliquando aggregari poterunt, modò eamdem viuendi rationem cum ceteris professis suscipiant, nec vmquam pecunias apud se retinere sub vllo prætextu præsumāt, quod etiam aggregatis Laicis vetitum sit.

Volumus tandem vt hac ratione aggregati, qui nobiscum viuunt, simplicia vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ in manu sui Superioris, in ingressu tantùm priuatim profiteantur, quorum obligatio duret, quousque nobiscum fuerint.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS

MONITA AD INTERIOREM cuitum, & ſpiritualem profectum pertinentia.

C A P. I.

SOmaſchenſis Religionis caſtra quicũque ſumus ingreſſi, hunc nobis initio finem propoſuimus, vt expugnatis vitijs, quibus anima turpiter deformatur, & euitatis peccandi occaſionibus, quæ in ſeculo plurimæ paſſim obijciuntur, per virtutum gradus ad perfectionis faſtigium conſcenderemus. Hunc eumdem finem ita neceſſe eſt aſſidue verſari nobis ob mentis oculos, vt internum obtutum ab eo numquam auertamus. Sic enim fiet, vt de eo conſequendo mirum in modum ſolliciti, lætis animis amplectamur vniuerſa, quæ tamquam ſolida adiumenta in noſtris Conſtitutionibus proponuntur. Pro interiore igitur animæ cultu ſequentia documenta præcipuè ſubijcimus, quæ qui ſui ſpiritualis progreſſus amantior fuerit, tamquam præcepta Domini excipiet, & diligenter obſeruabit.

Cogitemus de terra Aegypti, quæ ſeculum eſt, in terram lacte & melle manantem, quæ Religio eſt, nos euocatos à Domino, vt ſimus gens ſancta, populus electus, & dilectus, in cuius medio ipſi iucundum eſt inhabitare, ac proinde quidquid illius oculis diſplicere poteſt, ſtatim tollen-

dum de medio: amorem amore compensandum, & dummodò Deum diligamus, nihili reliqua omnia esse facienda.

In ijs omnibus, quæ cogitamus, quæ priuatim, quæ publicè dicimus, facimus, etiamsi minima sint, Dei gloria, & spiritualis vtilitas vel nostra, vel proximi semper spectetur.

Sicut nullum est momentum, quo Dei bonitate, & misericordia non perfruamur, ita nullum sit momentum, quo internis oculis eumdem præsentem non intueamur, tamquā operum, verborum, & cogitationum nostrarum testem, atque inspectorem. Hac enim laudatissima presentiæ Dei cōmentatione nihil ferè efficacius est ad mala quæque præcauenda, & ad perfectionem attingendam.

Molestia quæcumque, & qualiscumque ea fuerit, & vndecumque obuenerit, ipsa etiam impedimenta, quibus à spirituali progressu retardari nobis videbimur, peccatis exclusis, pacato animo tamquam è manu Dei parentis optimi suscipiantur, & eidem offerantur coniuncta cum cruciatibus Domini nostri Iesu Christi ad laudem, & gloriam ipsius.

Tepiditas ex animo prorsus, & statim euellenda est, alioquin instar febris hecticæ vniuersum robur, viresq. spiritus eneruabit.

Cum graues se se nobis obiecerint difficultates, quæ nos à Dei cultu, & à studio perfectionis auertere conentur, cum peccatorum metus, & iusti Iudicis rigor ad diffidētiam nos impulerit, tunc maxima fiducia ad Deum confugiamus, eumdemque Patrem, & quidem amantissimum cogitemus, sciamusque non confundi aliquem, qui speret in Deo, imò quod nostrum ad solatium Diuus Bernardus aiebat, nil omnipotentiam verbi clariorem reddere, quàm quòd omnipotentes facit eos, qui sperant in eo, vt nimirùm omnia quæcumque voluerint, & petierint consequantur.

Quidquid in alijs vel nos ipsi reprehensione dignum iudica-

dicauerimus, vel ab alijs reprehendi audierimus, ſtudioſè à nobis declinetur: quidquid etiam laudatione dignum animaduerterimus, id æmulari, & conſequi ſtudioſè nitamur.

Congregationem noſtram loco parentis habeamus, amemus, & vt ea bene audiat ab omnibus, quantum in nobis eſt, ſtrenuè laboremus: priuati tamen affectus omninò eradicentur.

Conſuetudines à ſeculo in Religionem allatæ valido conatu, adhibito Superiorum, & Patrum ſpiritualium adiumẽto, prorſus euellendę ſunt. Contrà verò omni diligentia cõtendendum, vt nouitius ille feruor, qui noſtræ conuerſionis initio animum inflammabat, ad ſeruiendum Deo in ſanctitate, & iuſtitia, proceſſu temporis non intepeſcat.

Initio cuiuſq. menſis virtutem vnam ſinguli deligent, in qua ſeipſos toto illo menſe diligenter exerceant; & ſingularem pugnam ſimiliter ſuſcipient aduerſus vitium, quod eidẽ virtuti opponitur. Sanctum vnum ex multis, qui eo menſe occurrerint, ſorte patronum eligent, cuius ad honorem quotidie Dominicam precationem cum Angelica ſalutatione recitabunt, precabunturq; vt ad eam virtutem acquirendam & vitium extirpandum, ſua interceſſione opem à Deo impetret.

Parui qui videntur animorum morbi, & leuiſſima vitia à nemine negligantur. Nam à parua ſcintilla magnum ſæpe excitatur incendium.

Parentes, conſanguinei, amici, facultates, & id genus alia, quibus renuntiauimus, vt nudi nudum Crucifixum ſequeremur, ſi denuò noſtros per affectum inuaſerint & occupauerint animos, Chriſti aſpectu indigni iudicabimur, ac proinde etiam Regno cœleſti.

Chriſti ſeruo omne ſolum patria eſt, imò veriùs totus mundus exilium eſt, & ſola cæleſtis Hieruſalem, ad quam adſpirat, patria. Nulla ſit igitur apud nos locorum, vel gen-

tium distinctio: sed vnum Patrem, qui Deus est, vnam Matrem, quæ Religio est, vnā Patriam, quæ Paradisus est cùm habeamus; communi beneuolentia, & charitate omnes, & omnia loca complectamur in Domino; ibiq; & cum illis libentiùs versari velimus, vbi abnegandæ voluntatis frequentiorem & maiorem nanciscimur occasionem.

In tentationibus, quibus variè atque etiam durè illum exagitari oportet, qui ad Dei seruitutem accessit, declinanda est, & diligenter cauenda imbecillitas animi & infirmitas, timor iusto maior, vana tristitia, conscientiæ scrupuli, quibus cordis libertas, & spiritualis profectus præpediri solet: reuocanda verò ad mentem merces amplissima, quæ bonum certamen certantibus promissa est, illeq; imitandus, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Plurimum proderit, omnia vel Superiori fidenter, vel Patri spirituali indicare atque aperire, & ex eorum consilio viuere.

Aliquid lectionis ex vnico pio libro, donec integrum percurrerint, quotidie nostri memoriæ impriment, & documētum aliquod pro suo interiore profectu inde studebunt haurire. Pax nostra interna ex linguis, iudicijsq. hominum non pendeat, sed ex testimonio propriæ conscientiæ, & ex fiducia, quę tam in aduersis, quàm in prosperis ponenda nobis in Deo est.

Si ex imbecillitate fragilitateq; nostra ad impatientiam vel ad indignationē ab aliquo ex fratribus irritari nos senserimus, ne pax turbetur, & rixæ oriantur, custodienda diligenter lingua est, ne ea proferat, ad quæ importuno, & quasi concitato spiritu impellitur, & quæ si effutierimus, dixisse postea nos pœniteat, cùm mentis serenitas redierit. Meminerimus beatos nos esse, cùm pro amore Iesu Christi iniurias patimur & contumelias.

Religioso verè humili nemo in hac vita felicior. Cum enim & seipsum pro nihilo habeat, & terrena omnia; ridet, si irri-

ſi irrideatur; gaudet,ſi conculcetur;ſi reprehendatur, culpā libenter agnoſcit;ſi offendatur,ſtatim ignoſcit. Vnuſquiſque noſtrum igitur Ieſu Chriſti humilitatem manſuetudinemq; imitari ſtudeat, & eligat abiectus eſſe in domo Dei, vilioribus exercitijs addici; ſubeſſe, non pręeſſe;doceri, non docere; & vilis potius, quàm humilis haberi: ſic enim & tranquilla quiete fruetur in hoc ſeculo, & feliciſſima in futuro.

Vnius Dei fauore & beneuolentia contenti, ab hominibus amari, præterquam à bonis, numquam affectemus. Neque enim Deo placet, qui placere mortalibus ſtudet.

Facilè inquieti, ſuſpicioſi, indignabundi erimus, facilè etiam noſtri obliuiſcemur, ſi aliena dicta, & geſta curioſè conquirere voluerimus. Niſi ergo officij neceſſitas, & charitas nos vrgeat, vel tacendum nobis eſt, cùm de aliorum vitijs agitur, vel ſermo prudenter amputandus, & ad meliora transferendus.

Temeraria iudicia ſedulò vitentur, ſuſpiciones, quæ noſtris ſeſe importunè ingerunt animis, non facilè admittantur, neque continuò putemus nullos ibi bonos eſſe, vbi multos videmus non rectè viuere. Aliorum peccata doleamus, continuis precibus à Deo depoſcamus emendationem, & de nullius peccãtis vera cõuerſione & pœnitentia deſperemus.

Noſtri omnes, & Superiores præſertim, modeſtiam, religioſamq. ſerenitatem potiùs, quàm nimis auſteram grauitatem vultu præſeferant, benigni ſint omnibus, nemini ſigna charitatis denegent, nemini inuideant, benefaciant ijs potiſſimùm, à quibus lęduntur, cum ijſdem mitiùs & benigniùs agant, quàm cum alijs.

Vt proximum opere, & veritate diligamus, prout debemus, eumdemque vt ex noſtro inſtituto in obſequium Dei promoueamus, non aſpicienda eſt in homine vilitas exterior, ſed animæ præcellens nobilitas & forma,

quam

quam ita Dei filius adamauit , vt pro ea & carnem assumpserit , & crucem . Sic enim dolebimus , si eam peccatis aut vitijs dedecorari ; lætabimur , si in via salutis proficere conspexerimus , & illius iuuandæ omnem auidè occasionem arripiemus .

Solatia,& oblectamenta in rebus externis quærenda non sunt , sed in solo Deo,& rebus diuinis .

Ad virtutum perfectionem ille feliciùs , ac sine dubio faciliùs perueniet, qui communi mentis orationi tam manè , quàm vespere alteram semihoram priuatim adiunget .

Cauendum est , ne in internis exercitijs adnisu pluſquam par est vehementi occupentur mens,& cogitatio: vt capite , ac reliquo corpore sani , & spiritu integri in Dei obsequio persistere possimus .

Deus non solùm internis studijs, sed etiam externis exercitationibus pro sui amore piè susceptis magnopere delectatur , quamobrem & Laici, & qui ad ministrandum alijs destinati sunt , suis si nauiter functi fuerint officijs , & gratissimi Deo erunt , & per laboriosas vitæ præsentis actiones ad supernam quietem ab eo deducentur .

De Constitutionibus vniuersè .

C A P. I I.

QVod primo loco Nostros monitos volumus , illud est,vt sciant,se in Somaschensē familiā, quęChristi militia est , ab ipso vocatos , idcircò fuisse, vt perfecti sint,&integri,in nullo deficientes,vt ait Diuus Iacobus,eum autem deficere, qui in legum,& Constitutionum obseruatione in dies non proficit,& qui sic defecti,eum non esurire, non sitire iustitiam,vt scilicet semper

iustior

iuſtior, ac profectior euadat, prout debet, ſed paulatim in humanam carnis libertatẽ abripi, & abſtrahi: omnia illi dura, omnia aſpera & amara, quæ à Superioribus iubentur, vel præſcribuntur à Conſtitutionibus videri, nihil illi dulce, nihil ſuaue, quod ex inſtituto ſit Religionis; Quamobrẽ ſciant ſeriam Conſtitutionum obſeruationem ſcalam eſſe Iacob, qua ad perfectionis altitudinem, hoc eſt ad Dei conſpectũ, vnionemq; conſcenditur, earumdem verò neglectionem præcipitem eſſe deſcenſum, quo è virtutibus in vitia, è plano ac ſtabili loco in prærupta ſaxa infeliciſſimè delabimur.

Licet ergo noſtra Congregatio vbi primùm à Sanctiſſ. Pontifice Pio V. in Religionum numerum relata eſt, regulæ D. Auguſtini ab eodem ſubiecta ſit: peculiaribus tamen legibus, & Conſtitutionibus ad inſtituti ſui rationem accommodatis, facultate ſuper hoc ab Apoſtolica ſede obtenta, hactenus innixa eſt, & ex illis in diuino famulatu, non ex aliqua alia regula ad charitatis amplitudinem, & propoſitam perfectionis normam dirigi conſueuit.

Conſtitutiones verò, quas diuturna tot annorum experientia, tot Patrum in celebratis hucuſq. comitijs prudentia, diligentia, ſollicitudo edidit, & conſcripſit, additis precibus ac ieiunijs ad diuinum in re tanta lumen implorandum, in nouiſſimo anni MDCXXV. Generali Capitulo rurſus quàm fieri potuit diligentiſſimè, accuratiſſimeque ad examen reuocatæ, & Patrum omnium per ſecreta ſuffragia approbatę conſenſu, decretum eſt, vt Apoſtolicæ firmitatis robore communitæ quam primùm imprimerentur & euulgarentur, ne ab earum obſeruatione quemquam excuſare ignoratio.

In primis ergo & ſi cupimus leges Conſtitutioneſq; noſtras à Noſtris haberi, tamquam externa adminicula & incitamenta religioſę perfectionis, ac proindę eas in omnibus rebus quantumuis minimis ab omnibus ſanctè inuiolateq; obſer-

obſeruari:cum tamen optemus Noſtros omnes ſecuros eſſe, aut certè adiuuari,ne in laqueum incidant alicuius peccati, quod ex vi Conſtitutionis proueniat; declaramus nullas ex noſtris Conſtitutionibus obligationem aliquam ad culpam ſiue mortalem, ſiue venialem inducere, niſi vnius ex tribus votis ſit illi annexa violatio. vel contemptus accedat, vel præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ, vel cenſura Eccleſiaſtica, vel aliquid ſimile, quod ſua natura eum, qui legi non obtemperauerit, peccato reddat obnoxium.

Ne autem idcirco vigor, ſeu etiam rigor religioſædiſciplinæ deferueat, qui vbi ſemel in Religione remittitur, deformari ſtatim eiuſdem Religionis decorem,omniumq.rerũ ſpiritualium nauſeam, ac interitum ſequi neceſſe eſt: volumus vt pœnarum vſus apud nos, & cum noſtris omnino vigeat, ita vt minima etiam delicta numquãm diſſimulentur, ſi in illis vel notetur, vel timeatur diſciplinæ neglectus;ſed ſingulis ſingulæ pœnæ reſpondeant,vt in libro de pœnis decernitur.

Hic ad euitandum euitanda ſtatuimus & declaramus in pœnam nullam ante declarationem incurri,quamuis appoſita illi eſſent conſueta verba,ſub pœna &c.ipſo facto incurrenda: ſecus de pœna excommunicationis latę ſententiæ, quæ ſtatim afficiet, & de caſibus in iure expreſſis.

Cùm omnia legibus comprehendi non poſſint, ſi res occurrerit, de qua noſtræ Conſtitutiones nihil decreuerint, agatur tunc ex iuris communis præſcriptione, & cum ſeniorum Conſilio, ad rectas conſcientiæ & prudentiæ regulas.

Si dubitatio aliqua, vel obſcuritas emerſerit, quæ interpretationem, aut declarationem poſtulare videatur,ad Capitulum Generale, vel ad Definitorium res tota deferatur: interim tamen Prępoſitus Generalis, quid faciendum ſit, ſtatuat, cum conſilio Conſiliariorum vel Aſſiſtentium.

Quid

Quidquid in vno Generali Capitulo, aut Definitorio fuerit in Domino ſtatutum, curabunt Superiores ſuo in primis exemplo, vt omnes magna cum humilitate & alacritate illud amplectantur & obſeruent: ſed inter Conſtitutiones non referatur, niſi ita faciendum per vota ſecreta ſubſequentis Capituli Generalis Patres cenſuerint.

Singulis ſextis Ferijs Conſtitutiones publicè legantur inter refectionem, vel ſingulis diebus vnum caput earum, vnà cum decretis, ſi quæ in Capitulis Generalibus, Definitorijs, aut à Patre Generali emanauerint: quę decreta ſtatim imprimi mandamus, & ad Superiores locorum mitti, vt ad omnium notitiam deueniant.

Laicis capita illa, quæ ad eos ſpectant, ob illorum latinæ linguę imperitiam idiomate vernaculo explicentur à Patre Viceſuperiore, vel ab alio Sacerdote de Superioris mandato ſemel in hebdomadam, idque feſtis diebus, quibus & ad legum obſeruationem & ad ſpiritualem profectum ab eodem diligenter & accuratè vt animentur, volumus, & hac in re Superiorum conſcientias oneramus.

Immunitates à Choro, à triclinio, à communibus cibis & alijs legibus, non paſſim, nec ſine cauſa vrgenti, & ea tantum durante, concedantur: & ſi quæ concedendæ fuerint, Præpoſitus Generalis ad annum dumtaxat, & non vltrà, Viſitatores ad quatuor menſes, ad breuiſſimum tempus Superiores, prout ſuis ſubditis opus fuerit, diſpenſare poſſint: & tam ille, quàm iſti proximum Definitorium de cauſa, ſiue cauſis factę diſpenſationis commonefaciant. Perpetuę exemptiones ſoli Capitulo Generali ex cauſa reſeruantur.

Nouæ Conſtitutiones numquam fiant, neque iam factæ immutentur, niſi grauis adſit neceſſitas; ſed aliqua alia ratione prouideatur, prout in Domino melius viſum fuerit.

Quòd ſi in nouis faciendis aliquid obrepſerit, quod ſa-

M cris

eris Canonibus Concilijs, Decretisque summorum Pontificum aduersentur, nullius sit momenti, nisi ex priuilegijs nostræ Congregationi concessis robur & auctoritatem desumpserit.

De Horis Canonicis.

CAP. III.

CLericos nostros, statim atque professionem emiserint, ex eo tempore vbicumque degere illos contigerit, ad horas Canonicas ex Romani Breuiarij pręscripto rituque persoluendas, sanctæ obedientiæ pręcepto, ac proinde pœna peccati lethalis adstringimus, & obligamus.

Laici (non quidem eo præcepto, sed pœna per Constitutiones, & Superiores infligenda) si legere nouerint, Officium paruum B. Mariæ Virginis; sin secus, pro Matutino orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam vicies & quinquies, pro Vesperis decies, pro singulis Horis quinquies recitare teneantur.

Ijdem Missæ solemni, festis diebus, nisi legitimè impediantur, & Vesperis, cum decantantur, semper intersint.

In omnibus nostris plenis Collegijs vsque ad præsentem annum fundatis (plena Collegia vocamus ea, in quibus duodecim plerumque resident, quicumque illi sint, siue soli professi, siue cum professis Nouitij, Aggregati, Hospites) & in ijs Ecclesijs, quæ à Definitorio ad hoc ipsum nominabuntur, totum diuinum Officium in Choro quotidie recitetur. Matutinum cum Prima circa auroram absoluatur: Tertia, Sexta, & Nona circa horam prandij. At vbi Missa sit decantanda, tunc dicentur ad pręscriptum rubricarum Missalis.

Veſperis iungatur Completorium , niſi ſacra lectio ſit interponenda . In Quadrageſimæ ieiunijs ante refectionem prandij recitabuntur horæ veſpertinę, Completorium poſt horam vigeſimam tertiam, & dimidiam.

Dies feſti Sanctorum Auguſtini,& Maioli duplici ritu cũ octaua apud nos ita ſolemniter celebrentur, ſicut & Patroni Eccleſiæ cuiuſcumque loci.

In feſto S. Petri Martyris, qui dies eſt noſtræ Congregationis natal is, totum officium duplex fiat, & Miſſa ſolemniter pro gratiarum actione decantetur: Clerici, & Laici poſt peccatorum confeſſionem ad ſacram communionem accedent, & profeſſi omnes coram Superiore, vel proprio Confeſſario ad formulam in Rituali editã vota obedientię, paupertatis, & caſtitatis pio affectu renouabunt. Hæc verò votorum renouatio vt quotidie poſt matutinam mẽtis orationem à Noſtris priuatim fiat,maximè cupimus,& vehementiſſimè eos hortamur, ſed in præcipuis ſolemnitatibus, & præſertim prima die Ianuarij maiori cum pietate ac cæremonia ab omnibus vt fiat, Superiores ſua charitate, ſuis item cohortantibus conſequi nitentur.

Singulis Sabbatis poſt horam vigeſimam tertiam hieme, poſt vigeſimum ſecundam æſtate canantur in Choro Litanię B. Mariæ Virginis cum Antiphona Salue Regina,vel alia, qua eo tempore diuinum Officium ad præſcriptum Romani Breuiarij terminari conſueuit: idem fiat in vigilijs & feſtis diebus eiuſdem Beatæ Virginis.

Nemo ſine venia aberit à Choro, vel ab eo recedet,& omnes adeſſe curabunt dum datur vltimum campanulæ ſignũ.

Inter pſallendum ſi errorem aliquem commiſerit Clericus,terram hore deoſculetur;ſi Sacerdos, manu.

Oſtia Chori, ſi per ea facilis eſſe poterit ſecularibus in Chorum aditus, clauſa ſint, dum Noſtri officia diuina perſoluent.

Candelę cereę ſaltem duæ tam profeſtis, quàm feſtis diebus, dum recitantur Horæ diurnæ, ardeant ſuper altari.

Collocutionibus, riſu, & nutibus mentem diſſipatam & euagantem indicantibus omnes abſtineant.

In recitandis Horis Canonicis ſtudeant vt voce continenti ac perpetua, non flexionibus ac minuritionibus variata pſallant omnes: moderata in pronuntiando tarditate vtantur: ſimul incipiant: ſimul deſinant: medijs in verſiculis paululum interquieſcãt: in extrema verſiculorum ſyllaba ne immorentur. Denique & pietatis affectum exprimant ipſi, & eumdem in audientibus excitent.

Chorum quoties aliquis ingreditur, poplite ad terram vſque flexo, Santiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adoret; inde ad Superiorem conuerſus debitæ reuerentiæ ſignum eidem exhibeat: quod & faciendum eſt, quoties è Choro quis egreditur.

Decens corporis habitus vbique retinendus eſt, ſed in Choro præſertim, vbi diuinis adſtantes myſterijs ſupremum omnium Regem alloquimur.

In Choro hæc ab omnibus accuratè diſciplina ſeruetur, vt antequam Superior ſedeat, ſedere nemo audeat; vt ſimul omnes aſſurgant, cum dicitur Gloria Patri, cum nomen Ieſu ſeu Mariæ pronuntiatur caput ſimul detegant & inclinent; dum cantantur Antiphonæ, omnes qui ſtant à lateribus Chori, vel nimium diſtant à libro, in medium prodeant: ſi in cantu erretur, nemo errantes corrigat, niſi Superior, vel qui cantui præeſt: vt leuitatem, multò magis immodeſtiam ſedendo, eundo, ſtando, genua flectendo vnuſquiſque deuitet: vt ſilentium omnino & præſcriptę in Romano & in noſtro Rituali ceremoniæ exactè ſeruentur.

Officia & Miſſę Sanctorum, quorum noſtris in Eccleſijs inſignes reliquię cuſtodiuntur, ritu duplici celebrentur; & debita cum veneratione feſtis eorum diebus exponantur.

De

De Missarum celebratione, & de Mortuorum exequijs.

C A P. I V.

SAcerdotes nostri rem sacram quotidie peragant ad Missalis Romani pręscriptum hora & loco constituendis ab eo, qui huic muneri pręerit, ad cuius nutum pręsto omnes esse debebunt.

Qui aliqua die à celebratione abstinere voluerit ex causa, id opportunè significabit Sacrarij Custodi, & Missam nihilominus audiet: quod vt Clerici, & Laici nostri quotidie faciant, præsenti Constitutione pręcipimus.

In Missis nouis nullæ fiant oblationes, neque huiusmodi Missæ celebrentur in Ecclesijs alienis sine Præpositi Generalis, vel Visitatoris licentia: in votiuis & anniuersariis nemo defraudetur. Missam nouam nemo celebret, qui in ritibus & ceremonijs non benè sit instructus, iudicio Superioris.

Ritus & ceremoniæ ex præscripto Missalis, Ceremonialis Romani, & Ritualis nostri accuratè ab omnibus obseruentur. Superiores exemplo sint alijs, & vt subditorum vnusquisque in ijsdem excellat, studiosè curabunt.

Quamobrem ex Sacerdotibus aliquem in ceremonijs maximè peritum & exercitatum constituant, qui Sacerdotes alios, & Clericos instruat diligenter, vitia vel minima notet, ijsque indicet; ab eodem verò doceri nemo erubescat; petere non grauetur; si corrigatur, id æqui bonique consulat.

Huius munus erit omni studio & diligentia eniti, ne in solemnibus Missis, Horis Canonicis, Supplicationibus, alijs functionibus, ijs præsertim, quæ Maiori Hebdomada

fiunt, ac præcipuis totius anni solemnitatibus confusio; aut error aliquis obrepat, vndè spectantium oculi & animi offendantur.

Sed vt omnia exquisitè, & cum decore peragantur, pridie quàm Missa solemnis, vel alia publica functio in Ecclesia celebretur, Superior cum Seniorum consilio schedulam cõscribi, eamdemq. loco consueto iubebit affigi. distinctè cõtinentem munera & officia, quæ vnicuique ea in solemnitate erunt obeunda.

Ceterùm vt in ceremonijs religiosam grauitatem, ita in Ecclesijs,& in functionibus omnibus eiusmodi cultum, gestum, incessum, in Nostris desideramus,vt veros Dei ministros nosmetipsos repræsentemus.

In Ecclesijs alienis præcipuè Monialium, aut puellarum (Confessarijs, & iter agentibus exceptis) celebrare Nostri non liceat absque Superioris facultate, quę sine vrgenti ratione minime concedatur.

Si quid celebranti Sacerdoti occurrerit, de quo admonendus sit Clericus, vel alter qui illi inseruiat, id faciat submissa voce, & à charitate admonitio ortum habeat. Legitimè tamen ad Superiorem, vel ad Vicesuperiorem,absente Superiore,spectabit errantium correctio.

Extra nostras Ecclesias onera Missarum celebrandarum nulla recipiantur.

Missarum, & diuinorum officiorum, & aliæ quæcumq. obligationes perpetuæ non accipiantur, nisi cum expressa licentia Præpositi Generalis,vel Definitorij in Italia,Prouincialis in Gallia:acceptarum verò extet tabella in singulis Sacrarijs, quæ illas fideliter exprimat, & quotannis à Visitatore visitationis tempore recognoscatur.Iisdem vt suo tempore satisfiat,opera dabunt scedulam Superior,&Aedituus: pecunię verò, seù bona mobilia pro huiusmodi obligationibus accepta in bonis stabilibus fructiferis quamprimum implicentur.

Simul

Simul cum Sacerdote ad Missam se præparante orent genibus flexis; qui eidem inseruituri sunt, Deumq. precentur, vt sacrificium illud dignè offeratur.

Nemó etiam si sit Superior, non sibi subditis Missas dicẽdas, vel applicandas assignet & nemo ab alio prꝫterquam à proprio Superiore recipiat sine expresso Præpositi Generalis, vel Vicarij consensu.

Curent nostri Sacerdotes, vt dum diuinam rem faciunt, internæ pietati & religioni externam coniungant grauitatem, modestiam, reuerentiam.

Studeant vnius esse moris in domo Domini, & voce, pronunciatione, deuotione, quantum fuerit poterit, consimili celebrent: quòd si quis aliqua in re delinquat & præsertim in festinatione nimia, postquam bis, aut ter admonitus à Superiore fuerit, nec seipsum correxerit; Superior cum voto Seniorum, & Visitatoris celebrare illi deinceps non permittat, suspensioneq. durante, vltimum post Sacerdotes vbique sedere iubeat, & domo non egrediatur, donec emendetur.

Sine corona, quæ in capitis vertice gestari solet, neque Sacerdotes, neque Clerici ad altare accedant: Laici non nisi mundi, ac decenter tum vultu, tum vestitu compositi.

Quoties aliquis ex nostris Professis obierit, illius Superior Superiores omnes statim commonefaciet, & in loco vbi decesserit, integrum officium Defunctorum recitetur (quod etiam fiet, si Nouitius sit vel Hospes) in ceteris verò locis, si Sacerdos fuerit, totum; si Clericus, vel laicus professus vnum nocturnum. Post recitatum officium Defunctorum cantabitur Missa solemnis, & ab vnoquoque Sacerdote tres Missæ pro illius anima offerentur, si Nouitius aut hospes, vel Aggregatus vnica à singulis, vbi is obierit, comemorantibus; alibi verò pro Sacerdote tres Missæ, pro Clerico vel Laico vnica à singulis Sacerdotibus dicetur; Clerici &

Laici

Laici officium Defunctorum, vel Rosarium B. Virginis deuotè recitabunt, eademq; die sacra se communione pro anima defuncti reficient.

Prima die post Commemorationem omnium Defunctorum non impedita in omnibus nostræ Congregationis Ecclesijs anniuersariū fiat pro nostris defunctis fratribus: & si id permittant Missarum obligationes, quibus ex iustitia satisfacere debemus, curet Superior, vt præter Missam solemnem aliæ etiam Missæ priuatæ pro ijsdem celebrentur.

Nostrorum cadauera, postquam religiosa charitate corū facies, manus, & pedes abluta fuerint, & nostræ congregationis habitu cōuestita: si Sacerdotes sint, sacris superinduātur vestibus; si Clerici, superpelliceo suprà vestem, tum pileo quadrato; si Laici, consueto ipsorum indumento. Eadem decenter teneantur, & sepeliantur ad præscriptum nostri Ritualis. Dum in cubiculo est cadauer, solum numquam relinquatur; neq. contumuletur nisi post elapsum vnius diei naturalis cursum, nisi Superiori & Senioribus iusta ex causa aliter faciendum videbitur.

Qui in Orphanotrophijs decesserint, in Orphanorum Ecclesijs, & non alibi sepeliantur: & si Rectorem Orphanorum mori contigerit, conficiatur statim per Vicerectorem coràm Commisso, vel per eumdem Commissum, si alius ibi non adsit ex nostris Sacerdos, rerum omnium, librorū, pecuniarum, scripturarum, quę ad Religionem spectare videbuntur, & totius supellectilis inuentarium cum iuramento subscriptum, quod statim ad Præpositum Generalem mittendum erit, omniaq. interim vel à Vicerectore, vel à Commisso diligenter custodientur.

Singulis mensibus pro Religionis nostræ necessitatibus, pro bono illius regimine, pro spirituali profectu, & eiusdem Religionis incremento Missa vnica de Spiritu sancto, additis orationibus B. Mariæ, & pro Prælatis & Congregatione

in vnaquaque ex noſtris Eccleſijs celebretur: diem verò ad hoc ſacrum faciendum conſtituet Superior, habita ratione obligationum & onerum, quæ ſuis Sacerdotibus incumbunt.

Cum duos eodem tempore Sacerdotes in Eccleſia celebrare oportuerit; prouideat ſacrarij Præfectus, ne vterque ſimul Miſſam incipiat: & ipſi etiam celebrantes ita vocem moderentur, vt vnus alterum non impediat.

Quoties vel negotium aliquod, vel perſonam Deo commendari Superior iuſſerit; ſcheda, quæ id reuocet in memoriam, affigatur eo in loco, vbi Sacerdotes celebraturi orare conſueuerunt.

Externis Sacerdotibus ſacrum facere noſtris in Eccleſijs non permittatur, niſi prius explorata Superioris voluntate: & ſi prorſus ignoti fuerint, videantur eorum literæ patentes.

Pro noſtris benefactoribus præter quotidianas preces, quæ à ſingulis Profeſſis & publice & priuatim fient, hortamur etiam, vt Sacerdotes in Miſſis, quandócumque poterunt, alijs orationibus addāt Collectam, Deus qui charitatis. ceteri non Sacerdotes Coronam Beatæ Mariæ Virginis frequenter recitent.

De ſepeliendis mortuorum cadaueribus hæc ſtatuta volumus. Patres noſtri excepto Parocho, & illius ſocio funus neque ad alienas, neque ad noſtras Eccleſias deducent.

Quòd ſi aliquis de noſtra Congregatione optimè meritus in noſtris Eccleſijs humari voluerit, tunc Patres noſtri albis amiculis induti, Superior ſiue Parochus cum pluuiali; cum Cruce, & duobus candelabris ad ianuam Eccleſiæ expectatum cadauer eo, quo decet, honore excipient, & funus ex Rituali celebrabunt.

Poſt Miſsā ſolēnē Defūctorū è Choro nūquā ad Abſolutionē egredietur Patres, niſi preſente alicuius ex Noſtris cadaue

re, & in die Commemorationis omnium fidelium Defuncto-rum.

De Ecclesiis, & earum supellectili.

CAP. V.

Nostris in Ecclesijs huiusmodi nitor effulgeat, qui potest esse maximus, omnique studio diuinum cultum, & christianam pietatem promouere & augere enitantur Superiores. Itaque Sacrosanctum Christi Corpus in omnibus Ecclesijs etiã Orphanorum asseruetur, & octaua quaque die renouetur: id muneris alicui Sacerdoti ex subditis à Superiore iniungatur, & claues diligentissimè custodiantur.

Oleum Infirmorum nulli desit ex nostris domibus, & decenter asseruetur.

Sanctorum Reliquiæ loco tuto & decenti collocentur, & conuestiantur, quantum in nobis erit, pretioso ornatu, & claues loci apud Superiorem asseruentur. Illę vero non passim, nec omnibus ostendantur: sed si aliquando viro, aut matronæ alicui nobilitate, vel dignitate insigni, cum licentia Superioris, vel Vicesuperioris, eo absente, deuotionis causa commostrandæ erunt, id fiat accensis duobus cereis; & qui eas ostendet, superpelliceo induatur, & stola, si fuerit Sacerdos.

Præcipimus autem, & inhibemus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub poena excommunicationis latę sententiæ Pręposito Generali reseruatæ, ne quisquam ausit partem aliquam, etiã minimã Reliquiarũ quouis prętextu vel suo, vel alieno vsui desumere, aut subtrahere, siue per se, siue per aliũ: & eodẽ pręcepto ac censura teneri declaramus etiã Superiores, qui Reliquias ab alijs desumi, aut subtrahi permiserint.

Sacræ

Sacræ veſtes, aulæa, tapetes, altarium pallia, candelabra, calices, Reliquiæ, Reliquiarum thecæ, & conſimilia quę magni æſtimantur, ſine expreſſo per vota ſecreta Capituli Collegialis conſenſu, commodentur nemini extraneo.

Hora ſeu tempus Miſſas inchoandi, & eaſdem finiendi pręfigatur à Superiore cum Seniorum voto..

Amplam habeant Ecclesiæ ſacrariaq. noſtra, & nobilem quoad eius fieri poterit, ſupellectilem; ad quam comparandam, niſi defuerit in Superiore voluntas & animus, ſperamus, Deo adiutore, cuius ad gloriam ea dirigitur, neque vires defuturas: ad conſeruandam eamdem Superioris Viceſuperioris, & omnium quorum intererit, diligentiam curamq. deſideramus maximam.

Corporalibus, & Purificatorijs crux in medio non deſignetur, ſed in angulis. Idem fiet in ſudariolis, quibus ſacrificantes poſt digitorum ablutionem vtuntur, ne alium in vſum adhibeantur.

Calices & patenæ auro obducantur ſaltem interiùs, ſi ex argento conflata fuerint, & ita ſint nitida, vt nullę in eis maculæ conſpiciantur.

Curet Superior, vt omnium altarium, aut ſaltem minorum pallia ſint vniuſmodi; vt mutentur pro temporum & feſtorum varietate; vt Sacerdotum ſacræ veſtes cum ijſdem conueniant.

Supellectilium omnium Eccleſiæ & Sacrarij index quotannis diligenter renouetur coram Viceſuperiore, & vno ex Senioribus, à quibus, & ab Aedituo ſubſcribatur; duoq; fiant illius exęmplaria, quorum vnum apud Superiorem, alterum apud Sacrarij Præfectum conſeruetur.

Eorum nomina, quibus & candelæ benedictæ in die Purificationis B. Mariæ Virginis, & Palmæ ſuo tempore diſtribui ſolent, habeat apud ſe Superior in libro notata, & ſingulis annis coram Viceſuperiore & Senioribus, acceſſito etiã,

ſi opus fuerit, Aedituo, opportuno tempore recognoſcantur; & pro occaſione vel mutentur, vel alia iam adſcriptis adiũgantur.

In ornandis noſtris Eccleſijs nihil vmquam adhibeatur, quod vanitatis ſeu leuitatis ſpeciem oculis intuentium obijciat. Tabernaculum in interiori parte circumueſtiatur & exornetur, & claues illius inaurentur cum floſculo ſerico. Nihil fiat, nihil curent Noſtri ab externis ſibi commodari, inſcio & inconſulto Superiore, & quæcumque petẽtur, cuſtodiantur cautè, alijs non accommodentur, ſtatim reſtituantur.

De Cantu, & eius vſu.

C A P. V I.

IN noſtris Eccleſijs Miſſæ, Officiauè diuina, & preces quęcumque fuerint decantandæ, ex antiquiſſima Eccleſię Romanę conſuetudine, ſtabili ſiue firmo, vt vocant, cantu concinantur. Modus canendi vbique vniuſmodi ſit, & cum religioſa grauitate congruens.

Leuitas in cantando, quæ vel ex ſuauitate vocis, vel ex cantus ſcientia plerumque ſolet obrepere, omninò fugiatur: ſed eadem & vocum conſonantia, & morum concordia ſeruetur ab omnibus.

Huiuſmodi cantũs vſum, vbi iam inuectus ſit, non liceat Superioribus ſine Definitorij conſenſu tollere: neque Definitorium illius tollendi poteſtatem, niſi bene cognita cauſa, & per ſecreta ſuffragia comprobata, cuiquam faciat.

In omnibus noſtris Collegijs vnus à Superiore cõſtituatur (hic autem vel Sacerdos erit, vel ſacris ſaltõ initiatus) qui cantandi peritus alios, & præſertim adoleſcentes, ſin-

gulis,

gulis ſiue alternis diebus per horam circiter inſtruat: cuius etiam munus erit meditari & diſponere ea, quę in Choro publicè canenda erunt, cantum & Chorum moderari. Ad huius voluntatem & vocem reliqui omnes propriam voluntatem & vocem ſine vlla contentione conformabunt.

Nouitij anno probationis eamdem cantus ſcientiam, ritus, & ceremonias eccleſiaſticas edoceantur, in ijſdemque ad profeſſionem admittendis habeatur ratio illorum docilitatis & progreſſus his in rebus.

Ad Subdiaconatum nemo promoueatur, qui Epiſtolam; ad Diaconatum, qui Euangelium; ad Sacerdotium, qui Miſſam ſolemni ritu, Romanoque more decantare probè non nouerit, niſi cum illo Præpoſitus Generalis legitima ex cauſa prius diſpenſet.

Cum feſtum aliquod occurrerit, pręſertim Titularis Eccleſię, vel Quadraginta horarum tribus vltimis Bacchanaliorum diebus oratio, quam in omnibus noſtrę Congregationis Eccleſijs laudamus ſolemniter fieri, vel noua Miſſa, vel Indulgentia viſitantibus Eccleſiam conceſſa, ſeu aliquid ſimile; tunc permittitur vſus illius cantus, qui Muſicus ſiue figuratus nominatur, quem etiam ad relaxandos animos, recreationis tempore, Noſtris non interdicimus, modò tamen priuatim intra clauſtra, & moderatè adhibeatur, amotis prorſus ijs cantionibus, quæ laſciuum aliquid, ſiue impurum continent.

Organa in proprijs dumtaxat Eccleſijs pulſare Noſtris permittimus, modò tamen à ſecularibus non videantur: & Monochordorum vſus, ſeu clauicymbalorum priuatim in cubiculo conceditur ijs, à quibus pulſanda in templo ſunt Organa. Alia quæuis muſica inſtrumenta & publicè & priuatim Noſtris interdicta ſint.

Harmonicum cantum in alienis Eccleſijs Noſtri non exer-

ceant, neque integrum sit Superioribus super hac Constitutione cum aliquo dispensare.

De Oratione mentali.

C A P. V I I.

Mentalis Oratio nullo modo prætermittatur, cum teste D. Io. Chrysostomo lib. 1. de orando Deū, impossibile sit sine illius præsidio cum virtute vitam degere, & egregiæ dotis in animo quidquam possidere. Illud certissimum est, neminem à Religione ad seculum, seculique mores deflexisse, qui prius orationis studium per neglectum non deseruerit; neminem è contra in Religione virtutibus fuisse conspicuum, neminem miraculis, & vitæ sanctimonia illustrem, qui in orationis & meditationis studio seipsum die nocteque non exercuerit.

Quotidie igitur bis à Nostris omnibus orationi incumbatur, mane post Primam in Choro, vesperi tam hyeme, quàm æstate post Salutationis Angelicæ signum.

Ad vtramq; etiam Laici aderunt, & hac in re Superiorum conscientias oneràmus. Vtraq; ad semihoram prorogetur.

Si designatum tempus vespertinum ob aliquod impedimentum minus opportunum alicubi fuerit, aliud à Preposito Generali admonito de impedimento constituatur. Post orationem Litaniæ dicantur, vt in Rituali.

In omnibus nostris Collegijs, Academijs, Orphanotrophijs omnes Nostri, nisi quem morbus excuset, ad orandū in Ecclesiam, Chorum, vel Oratorium pro locorum commoditate, præscripto tempore conuenient. Horologium arenariū vbiq adhibeatur, & eo ponatur loco, vbi facilè videri possit à Superiore; sed Illius cura alicui ex Sacerdotibus,

seu

ſeu etiam Clericis demandetur, qui ſemihora elapſa Superiorem admonebit, dicendo, Benedicite Pater.

Orationi præmittatur breuis lectio ex aliquo Meditationum libro ad Superioris iudicium.

Interim dū oratur, nemo Horas Canonicas, vel alias preces recitet, ne à meditatione diſtrahantur alij, & ipſemet qui vocaliter orat, mentaliter orare deſueſcat. Nemo obſtrepat deſpuendo, exſcreando, vel aliquid ſimile faciendo, quod orantibus alijs eſſe poſſit impedimento.

At ne intimus quidem feruor ſiue affectus ij, qui in oratione ſæpe excitantur, per ſuſpiria, per motiones corporis, per claram inuocationem nominis Ieſu Chriſti, vel Mariæ Virginis, ſeu alia ratione, audientibus alijs, exprimendi ſunt; ſed vbi opus ſit, violenta contentione comprimendi.

Inuigilet Superior, ne quouis prætextu quiſpiam abſit à communi oratione, & ex ijs, qui adſunt, nemo recedat, niſi graui compulſus neceſſitate, petita prius benedictione.

Frequenter Superior de hac re priuatim cum ſingulis, publicè cum omnibus ſermonem inſtituet, orationis vtilitatē neceſſitatemq. explicabit: idem per domeſticos Confeſſarios, per ſeniores, per Magiſtros Nouitiorum & Profeſſorum priuatis in colloquijs faciendum ſedulò curabit, inexpertos erudiri iubebit, & ipſemet ad ſe benignè vocatos inſtruet, de ſingulorum progreſſu ſollicitum ſe mirum in modum exhibebit.

Noſtri etiam omnes diligenter ſtudeant, quà pijs de oratione tractatibus legendis, quà ſermone cum verſatis hac in re hominibus habendo, & orandi peritiam comparare, & eamdem nauiter exercere: fieri enim non poteſt, vt qui fecundiſſimo virtutum ſtudio deditus eſt, feliciter in ijs non proficiat.

Superiores grauiter in eum animaduertent, quicumque is fuerit, qui orandi aſſiduitatem, vel ſenſuum & appeti-

tionum

tionum coercēdarum ſtudium, quam mortificationem dicimus, ſiue alia pietatis exercitia, etiam per iocum, vel ridiculis, vel ſecularibus nominibus alteri exprobrare auſus fuerit, interdicta etiam illi, ſi ita videbitur, aliorum conſuetudine.

Veſperi antequam Noſtri cubitum diſcedant, diligenter conſcientiam diſcutient ſuam, & quo modo diem illũ pertranſierint, ſedulò perquirent;

De peccatorum expiatione, & ſacra communione.

CAP. VIII.

SAcerdotes qui quotidie ſunt celebraturi, & quos ſanctos eſſe decet, vt ſancta ſanctè adminiſtrent, ſaltem ſemel in hebdomada, præcipuè diebus feſtiuis, peccata confiteantur, timeantque ne ſi culpas leuiores paruifaciant, grauioribus ſe ipſos facilè inquinent. Clerici ad ſacrã Communionem, niſi præmiſſa peccatorum confeſſione, accedere non audeant: proprij tamen Confeſſarij iudicio ſe ipſum vnuſquiſque ſubijciat.

Subditorum confeſſiones non excipient Superiores, niſi rogati, ſed duos, aut tres, & pro numero ſubditorum etiam plures confeſſarios deſignabunt ex diſcretioribus & ſenioribus, qui quidem ſuis in cubiculis Sacerdotum ſolummodo, non aliorum confeſſiones abſque Superioris licentia, auſcultare poſſint. Nemo alijs quàm deſignatis à Superiore; Superior verò Confeſſarijs alterius inſtituti peccata ſua confiteri non poſſit: aliter confeſſio ſit irrita.

Sicubi contigerit, vt ex Nobis aliquis regendis Orphanis, vel alibi ab obedientia deputatus ſolus commoretur,

aut

aut cum vno tantum Sacerdote, ij non ad suam voluntatem, sed cum obedientia Præpositi Generalis, vel Visitatoris Confessarium eligent.

Quotannis in Quadragesima generalem totius anni confessionem, præmissa oratione, & diligenti examine, Nostri omnes vt faciant, magnopere cupimus, & Superiores suis exhortationibus suadebunt.

Quod ad sacram Communionem attinet, Clerici, & Laici nostri, præterquàm quòd quotidiè sanctissimo Missæ sacrificio adstantes spirituali communione ex sacri Concilij Tridentini præscripto seipsos reficient; singulis etiam Dominicis diebus, & festis, & in die S. Petri Martyris, item feria quinta in Cœna Domini, Feria secunda post tertiam Dominicam Resurrectionis, vel post eam, qua inchoatum fuerit Capitulum Generale, die octaua Februarij, & frequentiùs in Quadragesima & in Aduentu communicabunt. Qui sacris initiati fuerint, vt altiorem gradum obtinent, & proximiorem Sacerdotio, ita ad sacramentum hoc sæpius accedent.

Clerici Laiciq. omnes simul, quoad fieri poterit, Sacratissimum sumant Christi corpus è manu Superioris, seu Vicesuperioris, vel ipsorum Magistri ad Superioris arbitrium.

E Choro Communionis gratia cùm egredientur, exteriorem reuerentiam cum interiore coniungent. Exterior in membrorum compositione, in oculorum depressione, in modestia, in grauitate, in deferendis iunctis antè pectus manibus, in genibus ad terram vsque flectendis; statim atque ad Altare maximum omnes accesserint, quod regulariter pro Nostrorum Communione deputamus: interior verò in Religionis, humilitatis, fidei, spei, charitatis, & reliquarum virtutum exercitationibus posita est.

Clerici superpelliceum induant; Laici pallium, quoties

augustissimo hoc cibo refici debebunt.

Post sacram refectionem per semihoram, vel circiter omnes in Choro remanebunt, ad gratias Deo pro accepto munere agendas: ex Clericis professione maximus, vel alius à Superiore, seu Mastigro designandus horologium vertet, & semihora elapsa signum dabit reliquis, qui simul terram exosculati consurgent, & nisi recitandę fuerint Horæ diurnæ, ad propria cubicula silentio proficiscentur.

Feria quinta Maioris Hebdomadæ nemo Sacerdotum sacrum faciat, & omnes è manu Superioris, vel alterius solemniter celebrantis Eucharistiam suscipient, iuxta consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ. In die autem Sabbati sancti, excepta solemni Missa, vnusquisque à celebratione omninò abstineat.

De obedientia & reuerentia erga Superiores, & Seniores.

CAP. IX.

NEminem ad perfectionis fastigium expeditiùs, velociusque vero obediente currere Nostri pro certo habeant. Quamobrem ita sit vnusquisque ad obediendum paratus, vt in ijs statim exequendis, quæ à Capitulo Generali, vel à Definitorio, siue à Præposito Generali, aut Superioribus sancita fuerint, nec corpori tarditas, quod monebat D. Bernardus, nec cordi tepida resistat voluntas.

Veri obedientis, eius nimirum, qui Iesu Christi vestigijs securus insistit, boni sint æmulatores Patres, & Fratres nostri. Is verò non expressam solùm, sed tacitam etiam Superioris voluntatem, quoties eam præsagire potest, exequendo

do prȩuenire contendit, & non qualis ſit Superior, ſed quem repræſentet cogitans, totus ab illius voluntate pendet.

Qui vel inuitus, vel obmurmurans, vel metu pœnarum obedit; is indignus eſt eo, quem gerit, habitu, indignus æterna felicitate, in quam dator hilaris, non durus, non contentioſus legis executor ingreditur.

Qui ab obedientia in aliquo Officio, aut miniſterio conſtituetur, ad quod præſtandum exiſtimet ſibi eruditionem, vel prudentiam, vel auctoritatem, vel animi fortitudinem deeſſe, poſtquàm animi ſui ſenſum Superioribus humiliter aperuerit, animum exinde non abijciat, ſed obedientiæ tamquàm cælesti auxilio innixus, rem aggrediatur, & ſperet in Deo, quia ipſe faciet.

Cauebunt ſubditi, ne ſtudium perfectionis, & zelum regularis inſtituti conſeruandi, rigiditatem & ſeueritatem in Superiore compellent. Nolint proprio detrimento indulgentiorem ſibi eum reddere. Quicquid ipſis negatur, quicquid contra voluntatem iniungitur, expedire id diuinæ gloriæ, & ſuæ perfectioni arbitrentur.

Si quid à Superiore petendum ſit, id Noſtri precibus importunis, vel alia minùs religioſa ratione ne extorqueant, ſed cum humilitate, & proprij iudicij abdicatione petant.

Frequentes locorum mutationes horreant Noſtri, vt quę inquietum animum, & propriæ voluntatis affectum, effectumque nimis apertè indicant.

Locum peculiarem ſolicita cupiditate & poſtulatione quærere, vel munus ambire fas ſit nemini. Qui ſic quæſierit, aut ambierit, numquam obtineat: ſed neq; locũ, aut munus aſſignatum ab obedientia pertinaciter recuſare quiſquam auſit.

Ad cõmunes actiones Chori, Capituli, Triclinij & alias,

quæ per signa campanulæ indicuntur, tamquam ad vocem Domini vocantis, nulla interiecta mora, omnes & primi omnium Superiores accurrant.

Negotium aliquod aggredi, vel promouere, seu curam quamlibet suscipere, etiam pietatis prætextu, vt litis componendę, pacis conciliandæ, defensionis viduarum, vel pupillorum procurandæ, matrimonij stabiliendi & aliarum rerum nemini liceat, nisi re priùs cum Superiore communicata & de illius licentia: rebus autem secularium vt perquã raro sese Nostri immisceant, pręsenti Constitutione decernimus.

Nemo sub poena suspẽsionis, & alijs poenis arbitrio Prępositi Generalis infligendis, energumenos adiurare, super homines veneficijs infectos sacras pręces legere audeat sine facultate à Præposito Generali in scriptis obtenta.

Nemo literas commendatitias sibi, aut alijs emendicet, vt obedientię reluctetur, vel vt illam impediat & remoretur.

Nihil vile putemus, nullum officium abiectum, nihil ab honore nostro alienum, quod nobis per obedientiam Deus iniungat, sed nobiscũ repútemus eum in oculis diuinæ maiestatis illustriorem esse, qui omnium sit humillimus, & sui ipsius contemptum rebus in omnibus quærat.

Excusationes languentium virium, insalubritatis aëris & huiusmodi, quæ interdum afferuntur, non admittantur, nisi ipsemet Superior medicum prius allocutus, loci mutationem alicui necessariam esse suis ad Patrem Generalem, vel ad Visitatorem literis affirmet.

Superiorem Patrem esse subditi existiment & eadem fiducia rebus in omnibus ad ipsum, qua filij ad genitorem accedant.

Aliquẽ ex Nostris, siue sub litũ, siuè Superiorẽ in iudiciũ vocare, aut accusare corã alio, quã nostris Superioribus cul-

pa ſit grauiſſima & pœna pariter grauiſſima mulctanda.

Eorum conſilia, qui Congregationem adminiſtrãt, ceteri nolint curioſè perſcrutari, multò minus improbare: ſubditos tamen hortamur, vt ſi quid ipſis occurrerit, quod vel publico Cõgregationis, vel priuato alicuius domus, ſeù etiã perſonæ commodo prodeſſe poſſe videatur, rem ad Prępoſitum Generalem, vel ad Viſitatorem, ſeu etiam ad prõprium Superiorem referant: ſed quicquid ab ijs poſtea decretum fuerit, & ipſi ſtatim tamquam prudenter factum collaudent.

Quæ in Capitulis Generalibus, vel Definitorijs ſtatuenda erunt, nemo audientibus alijs quaſi diuinando audeat coniectare, nemo per iocum exponere, nemo talia exponentem audire; quæ verò iam definita fuerint, ſi quis carpere auſus fuerit, ſeuerè puniatur.

Clerici primæ & ſecundæ probationis, Laiciq. iuniores, ſi à ſuo Superiore ob culpam aliquam reprehendantur, vel corrigantur, humiliter ſtatim genua flectant, iungant manus antè pectus, & demiſſo capite patienter auſcultent: alij omnes correptionem libenter admittant. Obloqui vel reſpondere Superiori corripienti, atque etiam corrigenti audeat nemo, ſed Deum corripientem & corrigentem in Superiore reuereatur, ſicque cum precatione veniæ culpam vnuſquiſque agnoſcat, & emendationem, Domino adiuuante, promittat.

Superiorem qualemcumque Deus dederit, reuerentia, & honore maximo, vt eum, qui Dei locum tenet, & per quem diuina nobis voluntas innoteſcit, proſequantur omnes, ij in primis, qui ætate, auctoritate, doctrina, & ingenio alijs præſtant.

Qui animo ſunt erga Superiorem minus compoſito, curioſiores defectuum Superioris inueſtigatores, qui eiuſdem imperata, facta, & dicta prauum in ſenſum detorquere ſolent,

lent, illumque in contemptum inducere; si qui vnquam reperientur, à reliquis omnibus tamquàm animarum, & Religionis pestes euitentur; nullis in Cõgregatione honoribus decorentur, nisi diuturna experientia emendati cognoscantur; & post vnam, aut alteram admonitionem, vel correctionem à Visitatore, aut à Definitorio poenis reprimantur, quæ alijs exemplo sint, & documento.

Caueant diligenter Nostri, ne cum familiariter inuicem colloquuntur, vel in ipsa etiam nominis alicuius ex Patribus, aut ex Fratribus appellatione quidquam irreuerenter, scurriliter, contemptim, nedum inhonestè dictum, aut factum ipsis excidat: caueant, ne dicacitate, iocis, aut dicterijs aliquem ita exagitent, vt prouocent ad indignationem, sed inter ipsos religiosa semper intercedant colloquia, consuetudo, & mores.

Cum Præpositum Generalem nominare contigerit, M.R.P. titulus præmittetur; quicumque eumdem adierit, genu flexo eum reuerebitur, tum humiliter explicabit animi sui sensum, sed numquam caput operiet, nisi ab eodem facta fuerit illi facultas: subditi cum Superiorem, vel Vocalem Capituli Generalis alloquentur, & nominare voluerint, Paternitatem vestram dicent.

Inter loquendum, & etiam scribendum Sacerdotum nominibus Pater, aut Pater Don præponatur, seu titulus Reuerentiæ vestræ; Clericorum, qui Sacris initiati fuerint, Don; simplicium Clericorum, Frater; Laicorum etiam, habita ratione meritorum & ætatis, idem titulus Fratris præponi poterit, sed Patris numquam, & nemini.

Reuerentia, charitas, & cura erga ætate seniores talis sit in vnoquoque nostrum, qualem decet esse filiorum in Parentes optimos.

Ijs, qui Præpositi Generalis, Vicarij item Generalis potestate abierint, honor præcipuus cum exteriore obseruantia,

vt

vt Patribus de Congregatione benemeritis, deferatur ab omnibus, & presertim à iunioribus.

Honore inuicem seipsos Nostri præueniant, sed cum religiosa simplicitate coniuncto, non affectato: & omnino illud obseruandum, vt in persona dignitas & gradus honoretur, isque honor cuique exhibeatur, quem virtutes, grauis ætas, & merita postulant.

Si quis consultò, ac deliberatè, multò magis si concitato ad iracundiam animo alium ex fratribus alloqui, vel salutare noluerit, statim per Superiorem moneatur, vt omni deposita indignatione, communia signa charitatis & beneuolentiæ loquendo, salutando illi exhibeat. Quòd si admonitus intra vnius diei naturalis spatium id non præstiterit, graui poena puniatur.

Qui alijs aliquando dignitate qualibet præfuerunt, si postmodum subditi cum ijsdem versentur, taciturnitatis, reuerentiæ, obedientiæ reliquis sint exemplo.

Extraneos quoscumque de rebus ad nostram Congregationem spectantibus quomodocumque scripto, vel ore, per se, vel per alios consulere, non habita à Superiore licentia, omninò vetamus.

Quicumque à Præposito Generali cum voto Consiliariorum, & debitis præmissis admonitionibus, contumaces in obedientia declarabuntur, ij sententiæ excommunicationis ipso facto subiecti existant, & poenam luant culpæ grauissimæ.

De Castitate.

C A P. X.

Castitatis amantissimos esse decet religiosos viros, cum ex D. Gregorij sententia, non sit bonum sine

sine castitate, quæ vt intemerata seruetur, externæ sensuum custodiæ assiduè inuigilandum est & oculi præsertim custodiendi occasiones etiam minimæ illius labefactandæ diligentissimè sunt a Nostris euitandæ, atque vt euitentur, curam omnem, & vigilantiam Superiores adhibebunt.

Mulierum familiaritate, etiam prætextu Confessionum, instructionum spiritualium, ægritudinis, vel coniunctionis sanguinis maximè suspectę sint, & omnino tollantur, Adolescentes in cubicula intromitti non permittet Superior & qui hac in re etiam leuiter deliquerit grauiter puniatur. Confessarijs, Aedituo, illiusque socio exceptis, aliorum nemo mulieres in Ecclesijs alloquetur, nisi consanguineas. Omnia demum cautè euitentur & quæ mala sunt, & quæ videntur in se retinere speciem mali.

Nouerint Nostri nullum esse vitium, quod in homine religioso ipsi etiam seculares magis execrentur, quàm incontinentiam.

Non solùm peccantes contra votum castitatis (vt verò nemo vnquam peccet optamus quã maximè) puniri seuerè mandamus, sed etiam suspecti hac in re qui fuerint, si paternè prius, priuatimque a Superiore correpti non resipuerint, obedientię præcepto coram duobus ex senioribus ijsdẽ imposito, alijsq; pœnis propositis ad omnem tollendam suspicionem constringi volumus. Quòd si adhuc vigere suspicionem Superior animaduerterit, tunc suspecti loco mouendi erunt, & denuntiatis antea pœnis aut etiam grauioribus arbitrio Præpositi Generalis, vel Visitatoris afficiendi, ac si per ætatem, & validitatem licuerit, pedites eò mittentur, quò fuerint ab obedientia ad residendum destinati. Suspiciones verò iudicentur à Superiore cum seniorum consilio.

In Superiores autem, & in Vocales Capituli Generalis,

quorum

quorum exemplum facilè abit ad alios, ſeueriùs ſemper animaduertent Præpoſitus Generalis & Viſitatores, ſi fortè (quod auertat Deus) ipſi ſe impuritatis labe, aut graui ſuſpicione contaminauerint.

Iis omnibus, qui noſtra conſuetudine vtuntur & delectantur, eiuſmodi præbeamus puritatis indicium, vt in carne nos extra carnem viuere per Dei gratiam cognoſcant, prædicent, & Deum bonorum omnium auctorem collaudent.

De Paupertate.

CAP. XL

QVicumque Religionis agrum votis ſolemnibus emiſſis ingreditur, agrum ſanè emit theſauro religioſæ paupertatis ditiſſimum, qui quidem theſaurus adeò cautè cuſtodiendus eſt, vt & nota quælibet, & ipſa etiam vmbra proprietatis, qua theſaurus comparatus deperditur, omnino ſit declinanda.

Ex conceſſione Sanctiſſimi Pontificis Pij V. habere poſſidereque bona in communi poteſt quidem noſtra Religio; Noſtris tamen aliquid vt proprium retinere, vel vt proprio vti, culpa ſit contra votum Paupertatis.

Quamobrem libros, gladios, vel eorum aliquid, quæ priuatim ad vſum conceduntur, peculiaribus ſignis, aut proprijs nominibus notare Noſtri prohibentur; imò & loquendo caueant, ne verbum illud meum, ac tuum ipſis excidat, quod ſpeciem præſefert dominij, ſed noſtrum nominent, quicquid ad vſum ſinguli apud ſe cum licentia Superioris habuerint.

Omnia communi ſupellectili addicta ſint, & in communem ſupellectilem Superioris ad voluntatem, vocem,

nùtum ſtatim referantur.

Ijs exceptis, qui domorum regimini, & bonorum admi-niſtrationi præficiuntur, interdicitur alijs omnibus pecuniæ vſus, & eiuſdem tam apud ſe, quàm apud alios etiam in parua quantitate retentio.

Superiores omnino prohibentur alicui ex ſubditis vſum pecuniæ concedere; ſeu diſſimulando permittere.

Munera nemo ſibi procuret, ab alijs oblata, etiam à fra-tribus noſtræ Congregationis nemo recipiat, ijſdem, & mul-tò minùs exteris nemo elargiatur. Nemo quidquam com-mutare cum alio, quicumque ille fuerit, & quacumque di-gnitate emineat, ſine Superioris obedientia præſumat.

Quæcumque bona tam mobilia, quàm immobilia, & qua cumque ratione, iure, cauſa ad aliquem ex noſtris Profeſſis peruenerint, vel ijdem quocumque nomine acquiſiuerint, etiam ſi ſubſidia ſint conſanguineorum, aut piorum largi-tiones, legata, donationes, tamquam propria, aut etiam no-mine Collegij, ſiue Domus, nemo etiamſi Superior ſit, poſ-ſidere poſſit; ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & domui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis con-fundantur.

Superior ſubditorum cubicula ſaltem bis, aut ter in an-no, & frequentiùs ſi ita & videbitur, inuiſet, vnà tamen cum Viceſuperiore, vel cum aliquo ex ſenioribus, perluſtrabit omnia, & ſi quid ex neceſſarijs alicui deeſſe cognouerit, prouidebit quamprimùm; ſi quid ſuperuacuum, ſi quid à ſpi ritu, & puritate paupertatis alienum reppererit, protinus au-feret: ipſe verò in primis ſtudio, & exemplo paupertatis prælucere debebit omnibus.

Quoties Superior cubiculum ſubditi ingredi, & viſitare voluerit, hic petita benedictione, reuerenti, hilarique animo eumdem excipiat; nec moleſtè id ſe ferre vel ſolo nutu ſi-gnificet.

Cubiculorum parietes nudi ſint, cubilia religioſa paupertate, & munditie reſplendeant, conopea, & circa lectum velamina, quæ cortinæ nuncupantur, ipſi etiam Pręposito Generali, nedum alijs interdicta ſint; ſtragulum opertum ſerico à nemine adhibeatur. Imagines, quæ cubiculorum parietibus affiguntur, vel appenduntur, piæ ſint: imaginum ornamenta. Reliquiarum, ſacrarumque rerum capſulæ, quæ vel materia, vel artificio magni æſtimantur, libri extrinſecus inaurati, etiamſi Breuiaria ſint, Diurna, vel Officia, omnibus vetita ſunt. Eſculenta & poculenta quamquam leuia in proprium cubiculum ſine licentia non inferantur, ſed omnia in commune deferantur, & in communi menſa diſtribuantur: Superiores hac in re vigilent, & exemplo ſint alijs.

Horologia, quę rotularum circumactu, aut per ſonitum aut ſine ſonitu per ſolum ſtylum horas deſignant, ex quocumque metallo fabrefacta ſint, Noſtri apud ſe priuatim habere prohibentur, ita vt ne mutua quidem, aut depoſita à quoquam retineri velimus. Clepſammidia verò, quibus per arenam, aut puluiſculum horas dimetimur, dummodo ſimplicia ſint, & cum religioſa paupertatę congruant, permittuntur.

Habeat apud ſe Superior, ſiue domus Procurator indicē rerum omnium, etiam minimarum, quæ in vnoquoque cubiculo cuſtodiuntur, neminiq. liceat quidquam cum alio commutare, vel ex alieno in ſuum cubiculum inferre, ſine Superioris facultate; quam non paſſim, nec ſine legitima cauſa concedet, & ſi aliquando conceſſerit, in indicē ſtatim id referet, quod ab vno in aliud cubiculum translatum fuerit: & indices bis ſaltem quotannis renouentur.

Huius indicis exemplar extet in ſingulis cubiculis, & per Superiorem, vel Viceſuperiorem vnicuique in iiſdem commoranti tradatur, vt cum eumdem oportuerit vel in aliud

cubiculum migrare,vel locum mutare, omnia prius Superiori, vel Vicesuperiori coram Procuratore ipse restituat, quæ notata erunt in indice.

Libros, vestes, manuscripta, pecuniam, vel aliud quoduis si quis apud exteros, quamquam propinquos, & consanguineos, aut etiam Religiosos seruandū deposuerit, si quis vendiderit, alienauerit, donauerit sine licentia in scriptis à suo Superiore habita, is proprietatis labe notatū & pœna mulctandum sese nouerit; sicuti eidem obnoxium crimini eum declaramus, qui titulo depositi, vel eleemosynę, vel restitutionis faciendæ gratia, vel alio quolibet prætextu quidquā apud se detinuerit, etiamsi scheda sit; quæ dici solet confidentiæ, non habita in scriptis à Superiore, cui indicari omnia singillatim volumus, benedictione & facultate.

Superiores ij etiam, qui in Orphanotrophijs Protectorum secularium administrationi subiectis cōmorantur, eleemosynas sibi datas in libello fideliter adnotabunt, & visitationis tempore de omnibus & singulis rationem Præposito Generali, vel Visitatoribus ità reddendam sciant, vt proprietarij sint censendi, si quid pecuniæ, vel rem aliquam illis occultauerint.

Quæcumque vestes siue laneæ, siue lineæ, omnisque alia supellex in aliquem commodum locum deferantur, ibiq. ab vno, vel duobus ex Nostris huius muneri deputatis diligē ter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

Cauebunt autem Superiores, ne dum subditis ea quæ ad victum & vestitum, ad valetudinis curam necessaria sunt, religiosa charitate non prouiderint, occasionem illis prębeāt labefactandæ paupertatis, vel obedientiæ. Subditi verò in vsu distributioneque rerum omnium à Superioris voluntate prorsus pendebunt, nec quisquam vel aliquid superfluum, vel ea sibi vtenda permitti velit, quæ nostris Con-

stitu-

ſtitutionibus, & paupertati repugnare Superior iudicauerit.

Nouitij ante profeſſionem ſi quid relinquere tempore legitimo voluerint Congregationi, Collegium, ſeu Domum aliquam, cui relictum applicetur, nominabunt, vel Præpoſiti Generalis voluntati rem totam integram reſeruabunt. Qua in re Patres à quibuſcumque ſuaſionibus abſtineant, liberam Nouitijs poteſtatem relinquentes: caueant tamen Nouitij, ne in ſuis vltimis voluntatibus aliquid relinquant, ijs adiectis conditionibus, quæ regulari diſciplinę, vel Conſtitutionibus noſtris pręiudiciũ aliquod afferre poſſint.

De Confeſſionibus excipiendis, & cura animarum exercenda.

CAP. XII.

Confeſſarij, qui in noſtris Italię locis audiendas Cõfeſſiones admittendi erũt, in quolibet Definitorio nominatim deſignẽtur: præter nominatos nemo niſi obtenta in ſcriptis à Præpoſito Generali licentia, & extra Italiam à Prouinciali, id muneris obeat. Hoc autem in miniſterio, quod omnium fere, quæ in Eccleſia Dei per eiuſdẽ miniſtros exercentur, maximum eſt, videant Noſtri, vt caute ſeſe gerant, ne dum aliorum animas laqueis peccatorum extricare voluerint, irretiant ſuas.

Nemo Epiſcoporum examinationi pro confeſſionibus audiendis ſe ſubijciat, qui à tribus ex noſtris Patribus coram Superiore examinatus ad tantum miniſterium idoneus non iudicetur, & facultatem ab eodem in ſcriptis prius non obtinuerit. Hæc vero facultas vel amplior eſſe poterit ad quoſq. accedentes audiendos, vel reſtrictior ad viros dum-

taxat,

taxat, prout Superiori videbitur.

In Confessarijs præter vitæ integritatem, morũ honestatem, & doctrinam, firmam etiam ętatem requirimus, secretorum tenacitatem, coniunctamque cum charitate prudentiam. Quamobrem nemo idoneus censeatur, qui trigesimũ saltem ætatis annum non attigerit, nisi sit Superior.

Nemo pœnitentes promissionibus, iuramento, vel voto sibi obstringat, pecunias ab ijsdem nemo extorqueat, ne turpis lucri cupidum potiùs, quàm salutis animarum se appetentem ostendat. Quisque accedentes ad se tam pauperes, quàm diuites, tam ignobiles, quàm nobiles eadem benignitate ascultet; in pœnitentijs iniungendis prudens sit, & discretus; in carnis afflictationibus proponendis & suadendis honestatis, valetudinisque singulorum rationem habeat maximam. Adolescentes ad emittendum votum vitę regularis amplectendæ non inducat: in mulierum colloquijs abstineat ob otiosis, curiosis, iocosisq. verbis, & à risu.

Studeant nostri Confessarij habere in promptu sanctorum Patrum exempla, seu dicta, & sacræ sciptutæ locos, quibus possint afflictis, tentatis, vel aduersa valetudine laborãtibus esse adiumento, & solatio, atq; vt artem hanc, quæ ars artium est, pro dignitate exerceant, libellos, quibus salutaria remedia, & instructiones Confessariorum cõtinentur, assiduè peruoluant: sed oratione in primis à Deo animarum Creatore, & curatore præcipuo lumen & opem impetrent.

Lectio sacrę scripturæ, vel casuum conscientię bis in hebdomada pręscriptis diebus in singulis nostris Collegijs habeatur, ad quam omnes conueniant, eaque absoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant.

Confessarijs libros de rebus ad Christiani hominis officium spectantibus Superiores deesse non patiantur, & quã

fieri

fieri poterit diligentiſſimè curent, ne vel lectio, vel caſuum diſcuſſio vnquam intermittatur, prẹterquam à Vigilia Aſſumptionis Beatę Virginis Mariæ vſque ad primam hebdomadam Nouembris; à Dominica Paſſionis vſque ad Dominicam ſecundam poſt Paſcha; quindecim diebus ante Cineralia; & à Dominica tertia Aduentus vſque ad Epiphaniam.

Formam abſolutionis à peccatis, & à cenſuris eam Noſtri adhibebunt, quæ in Rituali Romano prẹſcribitur: in modo agendi cum pœnitentibus inter ſe conſentiant, & ſalua ſemper conſcientia, ſaluam etiam, & integram omnium exiſtimationem conſeruare ſtudeant.

Vocati ad audiendas confeſſiones præſto ſint, aliorum tamen Confeſſariorum ad ſe pœnitentes allicere nefas ſit: ſi vltro acceſſerint, benignè excipiantur; & Confeſſarius, à quo receſſerint, id non ægrè, nec moleſtè ferat.

In priuatis domibus mulierum confeſſiones à Noſtris non auſcultentur, niſi vel infirmitate detineantur, vel inſignes matronæ ſint, & tunc comes eo ſit loco, vt Confeſſarium poſſit intueri, non audire; & ianua cubiculi pateat.

Secularium Confeſſiones non in priuatis Noſtroru m cellis, ſed vel in Eccleſia, vel in Oratorijs, alijſuè locis ad hoc conſtitutis audiantur.

Sedilia ad Confeſſiones audiendas noſtris in Eccleſiijs ita diſponantur, vt tam Confeſſarius, quàm pœnitens conſpici facilè poſſit.

Cum mulieribus, quæ confeſſiones frequentant, longos ſermones miſcere Confeſſarijs nō permittat Superior: ſi quē nimia viderit conſuetudine & familiaritate ſuſpectum, poſt vnam admonitionem corripiat corā Senioribus; & niſi emēdatum cognouerit, rem Præpoſito Generali, vel Viſitatori per literas ſignificabit, qui ab audiendis confeſſionibus illum ſuſpendent, loco mouebunt & alijs pœnis afficient,

prout

prout in Domino expedire viderint. Si tamen periculum immineat ſcandali, ad quod euitandum pręſentaneo ſit opus remedio, tunc Superior cum Seniorum conſilio agat, & occurrere ſcandalo ſtatim, atq. viriliter ſatagat, ſubditusq. illi non ſecus ac Præpoſito Generali parere teneatur.

Conſuetudinē alicubi iā inuectā, vt diebus Dominicis & feſtis Confeſſarij cum ſuperpelliceo & ſtola pœnitentium confeſſiones audiant, cupimus ab omnibus in noſtris Eccleſiis admitti & obſeruari.

Confeſſarij mulieres, quarum confesſiones excipiũt, rarò inuiſant domi, numquam ſoli, nec ſine Superioris licentia, neque ab aſpectu ſocij omnino remoti.

Quod ad Moniales attinent, earum cura vt grauiſſima eſt, ita ſi per aliquem ex noſtris Patribus loco Ordinarij ſuſcipienda erit, à Capitulo Generali per vota ſecreta, & cum duabus votorum partibus, non aliter posſit admitti: in Gallia à Prouinciali Capitulo cum maiori votorum parte. Confeſſarius etiam huiuſmodi, locis Gallię exceptis, non à Superiore locali, ſed à Pręposito Generali, vel à Definitorio eligetur, duraturus ad triennium, non vltrà: is verò ſciat pręſenti Conſtitutione ſibi diſtrictè proihibitum inſinuare ſe ſe in aliud quodcumque à ſpirituali animarum regimine & cura diſtinctum.

Extra locum confesſionibus audiendis deſtinatum Moniales non alloquatur; munera priuatim nulla prorſus accipiat, clauſuram in caſibus à iure permisſis ſi eum ingredi oportuerit, ſuperpelliceum induat & ſtolam.

Confeſſarij qui exrraordinarias Monialium, vel purllarum, quæ in noſtra clientela non ſunt, confeſſiones audiãt, non paſſim concedantur à locorum Superioribus. Ipſi quã rariſſimè id muneris obeant, alij vltra duos menſes eidem loco non inſeruiant.

Ore ſententiam dicere circa caſus conſcientiæ, qui ab ex-

traneis

tranèis proponuntur, cuilibet Confessario integrum sit; scri ptis verò consignare illis tantùm liceat, quibus Præpositus Generalis, vel Visitatores id concesserint.

Qui in nostris Parochialibus Ecclesijs curam animarum exercebunt, à Definitorio deputentur, vel à Capitulo Conuentuali per vota secreta, & præuio examine per duos ex Patribus coram Superiore faciendo, & munus non subeant, nisi seruatis seruandis.

Parochi nostri viri sint religiosa grauitate & probitate conspicui, zelo salutis animarum feruentes, & charitatis pietatisque operibus dediti. Hi ægrotos, maximè pauperes, frequenti visitatione recreabunt, & ad Sacramenta suscipien da opportunè disponent. Doctrinæ Christianæ ministerium summo affectu complectentur & promouebunt, singulisq; festis diebus rudes pueros, & puellas intrà Parochiæ fines commorantes, dato per æs campanum signo, conuocabunt ad Ecclesiam, & rudimentis Catholicæ fidei curabunt imbuendos, eorumdem conatum, & industriam alij Superioris iussu adiuuabunt.

In mortuorum funeribus, & publicis quibusque functionibus vnus ex Nostris comes Parocho designetur. Parochus attentè vigilet, & diligentiam omnem adhibeat, ne sine Sacramentis quispiam in Parochia decedat, si numero, & necessitati ægrotantium par ipse non sit, Superiorem conueniat, & ab eodem designari sibi socium postulet.

Habeat libellum, in quo descripta sint iura, fines Parochiæ, emolumenta, &c. & in eo describat, quæ notatù digna euenient, successori tradendum.

Mortuorum, Matrimoniorum, & Baptizatorum libros distinctè complectentes nomina, cognomina, & patrias apud se diligentissimè custodiat; accuratè item obseruet singula, quæ in sacro Concilio Tridentino, & in Synodis à locorum Ordinarijs seruanda præscribuntur; Rituale

Romanum nuper editum frequenter percurrat, & ad illius formam & actiones suas, & alia omnia accommodet, tandem quæ sui sunt muneris, ad Dei gloriam perfectè studeat exequi.

De Concionatoribus, & Lectoribus.

CAP. XIII.

Ministerium verbi diuini tam in concionibus, quàm in sacris Lectionibus enuntiandi, vt Christi fidelibus vtilissimum, ita fideliter ac prudentèr à Nostris exercendum est, qui sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, in alterutrum, idest in proximorum vtilitatem illam administrabunt: publicè tamen neque concionetur aliquis, neque legat in Ecclesijs, nisi ab obedientia mittatur: nemo admittatur, qui indole, ingenio, fide, probitate, & eloquio non excellat, qui Philosophiæ, & Theologiæ studia methodicè non absoluerit, vel saltem post Philosophiam mysticæ Theologiæ, & sacræ Scripturæ operam ad triennium non dederit, præuioque examine approbatus à Patribus deputatis facultatem concionandi in scriptis non obtinuerit à Præposito Generali, vel à Prouinciali.

Concionatores antequam id muneris aggrediantur, fidei professionem emittant; quod idem præstabunt, qui ad docendum deputabuntur.

Concionatoris munus cùm sit vitia euellere, virtutes inserere, omnem conatum in hunc quasi scopum Nostri dirigant, vt in Christi fidelium animis odium peccatorum, amorem probitatis excitent, & exemplo non minùs, quàm verbo Euangelium prædicent.

Studio

Studio ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum ita ſint dediti Concionatores noſtri, vt quam alijs tradituri ſunt doctrinam, ex ipſo fonte cum labore hauriant, & difficilia quæque ſcripturæ loca, oblata opportunitate, etiam ex tempore explanare poſſint.

Illuſtrioribus in Eccleſijs qui concionati aliquando ſunt, non dedignentur illud idem miniſterium in Oppidis, villis, & Eccleſijs, ad quas paruus ſit hominum concurſus, exercere; ſed eò pergant alacriter, quò à Spiritu ſancto obedientia directrice mittentur.

Noſtri Prædicatores nihil publicent in ſuggeſtu, neque etiam Indulgentias, niſi de licentia Superioris illius Eccleſiæ.

Magnum præbeant vbique probitatis & humilitatis exemplum, & nullum vmquam animi impatientis indicium: neminem dictis ſiue priuatim, ſiue publicè, multò minùs actione qualicumq; contra ſeipſos, & contra Religionem noſtram irritando prouocent, aduerſa omnia, etiam iniurias æquiſſimo animo patiantur, & quicquid ſiue proſperi, ſiue aduerſi eis acciderit, protinus ad Dei gloriam & laudem referant.

E multis, qui modum concionandi tradiderunt, hortamur vt ſinguli Concionatores noſtri familiarem vnum aliquem habeant, atque eiuſdem præceptiones conentur & memoriæ commendare, & ſuis in concionibus obſeruare.

Verborum lenocinijs, poeticis loquendi formulis, facetijs, ſtylo affectato, longiuſculis rerum deſcriptionibus, incompoſito geſtu, immoderata vocis elatione, aſſentationibus, curioſis diſputationibus, nimijs exaggerationibus, acrioribus reprehenſionibus, memoriæ & ingenij oſtentatione, atque ijs omnibus, quæ aliquam vanitatis, ſeu leuitatis ſpeciem referunt, prorſus abſtineant.

De Principibus, Magistratibus, Prælatis, Superioribus modestè omnino, & honestè vbique loquantur. Vitia generatim insectentur, neminem nominatim reprehendant, aliorum Ordinum Regulares commendent, & quoties nominare occurrerit, nominent reuerenter.

Qui cibis quadragesimalibus in Quadragesima vesci non poterit, concionibus abstineat, nisi aliter Definitorio, vel Præposito Generali consideratis considerandis visum fuerit.

Breuitatem in dicendo amplectantur, quæstiones si quas aliquando proponent, breuiter etiam exponant, & ad captum vtilitatemque multitudinis accommodent omnia.

Extra proprias Ecclesias Concionatoribus socius à Præposito Generali, vel à Visitatore assignetur, non eligatur ab ipsis, quamuis Superiores essent.

Illud simpliciter obseruent, gratis accepistis gratis date: quocirca nec pactionem aliquam inire pro concionibus, nec eleemosynas quærere Nostris liceat, sponte tamen à fidelibus oblatas vt recipere possint, concedimus: eas verò qui Superiores fuerint, libris rationum accepti & expensi fideliter adnotare faciant, & subditi statim atq; ad locum ipsis ab obedientia deputatum redierint, suo consignabunt Superiori, cui etiam factarum expensarum & in itinere, & in victu, si quæ factæ fuerint, rationem reddent.

Non liceat subditis eleemosynas pro concionibus acceptas in libros, vestes, vel aliud quodcumque expendere, sed à proprio Superiore illa sibi prouideri, quorum indiguerint, humiliter deposcant.

Exemptiones Concionatorum, & Lectorum hæ sint. Quotidie concionaturi in Quadragesima per mensem integrum ante Cineralia, & per dies quindecim proximè post Quadragesimam, si in nostris Ecclesijs concionati fuerint; per men-

l mensem, si in remotis à loco suæ residentiæ, choro cum alijs intercsse non teneantur, nisi diebus festis ad horas diurnas, ad Missam solemnem, & diebus singulis ad orationem mentalem.

Qui festis solùm diebus concionem, vel pomeridianis horis lectionem habere solent in Ecclesia, & pridie ante Concionem, vel Lectionem, & postridie à nocturnis horis sint exempti. Extra triclinium comedere permittitur Concionatoribus, qui Quadragesimali tempore quotidiè concionantur, alijs non item.

Ad Moniales sine sui Superioris licentia nemo sermonem, vel concionem habeat.

Adolescentes studijs necdum completis, in triclinio discumbentibus alijs, in concionibus frequenter exerceantur: habita concione supplices in medium triclinij prodeant, & corrigi de suis ipsorum erratis à Superiore humiliter postulent.

Qui dixerit, & non fecerit, hoc est qui probè dixerit concionando, sed probè non fecerit exequendo, quæ alijs prædicauerit, à Definitorio, vel à Præposito Generali, vel à Visitatore concionandi munere priuetur, & studio mortificationis interim exerceatur.

Diebus festis poterunt ex Nostris aliqui, etiam non Sacerdotes, qui spectatæ sint probitatis & modestiæ, ad proximas villas, & pagos, vel intra Ciuitatem ad Scholas Doctrinæ Christianæ, ad pios Conuentus secularium, & quocumq; pro Dei gloria expedire videbitur, à Superioribus mitti, vt populum pijs exhortationibus instruant in lege Domini, & ad illius obseruationem propositis pœnis, præmijs, & exemplis cum affectu inducere conentur iuxta antiquum & piũ nostræ Congregationis institutum.

Concionandi prouinciam etiam sponte oblatam à Prælatis, vel à secularibus viris nemo aggrediatur, nemo suam

pro-

promittat operam, nisi facultatem à Pręposito Generali, vel Prouinciali priùs obtinuerit, cuius est operarios in vineam Domini arbitrio suo mittere.

De Castigatione corporis per ieiunium, & verberationem: & de ciborum qualitate, & quantitate.

C A P. X I V.

INternis virtutum actionibus, humilitati, charitati, patiētię, motuum animi, ac perturbationum moderationi, morum mutationi, in quibus religiosę vitę consistit perfectio, totis & viribus & animo incumbendum est à Nostris, in ijsdemq. vt proficiant, omni conatu contendendum: sed ne externæ quidem virtutum exercitationes relinquendæ, eę verò sunt ieiunia, vigiliæ, cilicia, verberationes, literarum studia, & huiusmodi, quæ vt Cassianus ait, perfectionis instrumenta sunt; vt meritò S. Cyprianus dixerit, neminem virtutibus excelluisse, vel singularia à Deo dona atque beneficia promeruisse, qui per hæc castigandi corporis media non ascenderit. Præter priuatas igitur, & voluntarias corporis afflictationes, quas cuilibet integrum erit assumere, sed cum Superioris, vel proprij Confessarij obediētia, communes omnibus sequentes præcipimus.

Ieiunium per Aduentum integrum, qui more Romano incipiendus erit.

Omnia Ecclesiastica ieiunia a Nostris omnibus inuiolatè obseruentur.

Singulis quartis ferijs carnium vsu Nostri omnes vbique locorum abstinebunt, nisi pridie præcesserit, vel postridie sequatur aliqua de præcepto, aut ex magna deuotione vigi-

lia

lia ad iudicium Superioris.

Sabbato ante tertiam post Pascha Dominicam, vel eam, quę Comitiorum, aut Definitorij erit initium, ieiunetur ab vniuersis.

Diem festum Sacratissimi Corporis Christi, & diem festum S. Augustini præcedat nobis Vigilia cum ieiunio.

Feria sexta cuiusque hebdomadæ ieiunium a Nostris seruetur, nisi pridie fuerit ieiunatum, aut postridie sit ieiunandum. Superiores tamen dispenseat duos vltimos dies Veneris ante Quadragesimam, & postremum ante Aduentum, & totum illud tempus, quod inter vtrumque Pascha, Resurrectionis scilicet & Pentecostes interlabitur.

Vespertina refectiuncula erit frustum panis, & fructus vnius speciei; sed in Quadragesima & vigilijs de præcepto, Superior agat pro sua charitate, & prudentia.

Eadem sexta feria statim post mentalem orationem, quam numquam prętermitti volumus, vel alio ad Superioris arbitrium magis opportuno tempore dabitur signũ, quo conuocati Nostri omnes in eũdem locum conuenient, ibidemq. flexis genibus ad renouãdam cruciatuum Iesu Christi Domini Nostri memoriam, & pro commissorum expiatione peccatorum, carnem suam vnusquisque moderatè, discretè, loris cædendo affliget, quod teste Diuo Bernardo genus quoddam martyrij est, ac proinde diuinæ Maiestati acceptissimum, si pia intentione, & sancta executione ad ipsius honorem dirigatur. Superior, vel alius de illius mandato adhortatiunculam præfabitur, aut lectionem breuiusculam præleget ad excitandum in audientium animis pium deuotionis affectum. Exindę ipse incipiet, & alij prosequentur Antiphonã, *Apprehendite disciplinam*, Psalmum quinquagesimum, *Miserere mei Deus*; Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorũ, Salue Regina; *Christus factus est, &c.* & Orationem, *Re-*

spice

spice quæsumus Domine, *&c.* qua finita signum detur a Superiore cessandi a verberatione,& statim idem iubeat quinquies Pater noster, & Aue Maria deuotè dici pro necessitatibus Ecclesiæ, nostræ Congregationis, benefactorum, & pro animabus fratrum nostrorum in Purgatorio existentibus; iisque absolutis dicat; *Vnigenitus Dei filius nos benedicere & adiuuare dignetur*, ceteri respondeant. *Amen.* & ad propria cubicula silentio se recipiant.

Qui in Seminarijs,in Conuictorum Collegijs,& in Orphanotrophijs commorantur, eamdem omnino carnis castigationem simul eodem in loco, idem ieiunium eodem die obseruabunt.

Ad carnis domandæ & macerandæ studium, proposita huius vtilitate & necessitate,quo vt Cassianus ait, extirpātur & marcescunt vitia vniuersa, subditos sæpe Superior adhortetur: ipse suo iisdem præeat exemplo.

In assignandis mortificationibus prudentia opus est, & moderatione maxima, lumenq. a Deo impetrandum. Ferè tamen a leuioribus incipiendum, honestati & sanitati consulendum,& disponendus primus animus, quàm medicina corpori adhibeatur.

Quod ad cibos attinet, ijdem sint omnibus,sintq.vulgares,non lauti, mundities in illis magna eniteat,sint bene cocti,bene etiam pro religiosa paupertate cōditi. Singulis singulæ portiones vbique,& quocumque tempore,etiam cùm Præpositus Generalis,vel Visitator aduenerit,distribuantur, & cum æqualitate diuidantur. Singularitas in omnibus,sed in victu, & vestitu præsertim euitetur. Quamobrem præter communes cibos nemo tam in prima, quàm in secunda Mensa quidquam secum deferet, vel deferendum curabit, quodcumq. illud sit,sine Superioris licentia. Volumus tamen haberi rationem ætatis,valetudinis,laborum cuiuscumque. Cum ieiunatur,duplex apponatur obsonium omnibus;

Diebus

Diebus Festis, & diebus Iouis quatuor fercula dentur, reliquis tria, nisi iustis ex causis cum Præpositi Generalis facultate aliter faciendum alicubi statuatur. Extra communem mensam nemo quidquam comedere, nemo bibere audeat sine Superioris obedientia. In bibendo nemo alteri propinet, nemo alteri quidquam comedendũ in mẽsa porrigat.

Cũ secularibus quãquã consanguineis, affinibus, pœnitentibus, vel alijs quibusq. comedendi facultatẽ non passim, nec sine iusta causa Superiores alijs faciãt, nec sibi ipsis vsurpẽt. Ad nuptiale conuiuium numquam Nostri accedent, & ad illud accedendi licentiam Superiores concedere non possint.

Externi nostras ad mensas quam rarissimè & si fieri potest, numquam vocentur: vocati non seculari, non aulico apparatu, sed religiosa simplicitate, maxima tamen mũditie recipiantur, & tunc lectio non omittatur, & Nostri ita se contineant intra religiosæ modestiæ, ac decentiæ limites, vt qui nobiscum discubuerint, magnam concipiant de nostra consuetudine opinionem, & temperantiam commendent.

De Silentio & Modestia.

C A P. X V.

CVm ex D. Augustino à religando Religio dicta sit, lingua in primis cuique Religioso per silentium religanda est. Etenim vix Religiosus est, qui linguã non refrenat, à qua tamquam à fera indomita plurima, eaq; grauissima incommoda proficiscuntur.

Omni igitur tempore Patres, & Fratres nostri sint amantissimi obseruantissimique taciturnitatis, quam Sancti Patres cultum iustitiæ, virtutum omnium parentem, custodem, nutricem vocant; loquacitatis contra inimicissimi, vt quæ

mentem & à Deo, & ab ipsomet, qui loquitur, disiungat, atque ad vana, ac nocitura diuertat.

Præcipuè verò obseruari silentium pręcipimus in Choro, & in Triclinio, & quidem ita religiosè, vt non solùm verbis, sed ne signis quidem, aut nutibus fas sit illud violare. Quamobrem neque post Horas Canonicas, neque post mentis orationem in Choro, neque post refectionem in Triclinio remanere colloquendi gratia cuiquam liceat; orandi verò causa in Choro, seruiendi in Triclinio consistere liceat, sed cum obedientia.

Hieme post calefactionem, quæ fieri solet matutina oratione completa, ad quadrantem horæ, vel circiter; vnusquisque ad propria siue cubicula, siue officia cum silentio accedet.

In omnibus Religioni nostræ subiectis domibus, signum vespertinum Salutationis Angelicæ, nisi post illam statim ad cœnam nostri aduocentur, silentij signum erit. Post prandium, & post cœnam hora vel circiter elapsa, silentij signum detur; statim suum vnusquisque cubiculum ingrediatur, alienumque interim introire cuiuscumque illud sit, prǽterquam Superioris, vel rerum spiritualium magistri nefas sit. Sed & mane cum horę matutinæ recitantur, nemo qui in Choro non intersit, alterius cubiculum intrare, vel cum altero colloqui possit: & in eum, qui secus fecerit, seuerè animaduertat Superior, cuius conscientiam hac in re seriò oneramus.

Quoties vnus cellam alterius ingredi voluerit, ianuam illius digitis pulset, clara voce dicat, Deo gratias, is verò, qui intus fuerit, respondeat, Semper, tum ostium aperiat, quod intus obserari nolumus, dum in cubiculo ille commorabitur.

Quadragesimali tempore, & diebus quibus vel ex Ecclesiæ præcepto, vel ex Constitutionum præscripto ieiunatur,

natur, ſilentium ſeuerius ſeruetur.

Silentij tempore nemo alterum conuenire ſine expreſſa Superioris licētia poſſit, Laici à pulſandis campanulis, à collocutione, ab omni ſtrepitu abſtineant, quantum neceſſitas officiorum, quibus deputati ſunt, permiſerit: idem prꝗſtabunt, dum panem conficient, dum lances & vaſa coquinaria abſtergent, niſi malint pſalmos; aut preces aliquas interim inuicem recitare, vel de vitis Sanctorum agere, & colloquendo aliquid meditari.

Nocturno tempore ex proprijs cubiculis, niſi neceſſitas vrgeat, exire, vel aliò pergere, quàm quo neceſſitas impellit, nefas ſit.

Poſt ſemihoram à veſpertino ſilentij ſigno, pulſabitur denuo tintinnabulū, & omnes ſtatim lumina extinguent, vt ſomnum capiant, niſi qui à Superiore ob aliquam cauſam aliter faciendi facultatem impetrauerit.

Superior tamen, vel eo impedito Viceſuperior cautè domum tunc temporis circumeat, & ſilentij, huiuſque Conſtitutionis violatores, ſi quos deprehenderit, ad aliorum exemplum puniat.

Si quis noctu in Oratorium, vel in Eccleſiam ad orandum proficiſci voluerit, id faciendi poteſtatem prius obtineat à Superiore.

Quòd ſi ſilentium ſeruandum, multò magis murmurationes fugiendę, quibus & Dei & Religionis gloria minuitur, charitas ſcinditur & lęditur. Vigili ergo cura Superiores in id incumbent, ne vitium hoc, quod totam Religionē labefactare poteſt, inter Noſtros ſerpat, numquam cum delinquentibus conniuebunt, ſed ex præſcripto charitatis atque iuſtitiæ cum ijſdem agent, vt emendentur.

Collocutiones autem ſemper fiant ſubmiſſa voce, & inter Religioſos religioſæ ſint, nimirum de ſcripturis ſacris, de cuſtodia diſcliplinæ, de rebus ad mores & ad conſcien-

tiam ſpectantibus, de virtutibus, de forma & facili ratione earumdem acquirendarum, de præclaris aliorum dictis & factis, de literarum ſtudijs, de contionibus; & huiuſmodi; modò nugæ, & inutiles narrationes fugiantur, quæ inter ſeculares nugæ ſunt, vt ait S. Bernardus, ſed in ore Sacerdotum, & religioſorum hominum blaſphemię. Illud prætereà intelligant Noſtri, non multum referre, dum cum ſecularibus colloquuntur, quàm elegans ſit religioſi hominis ſermo, ſed quàm grauis, circumſpectus, atque vtilis. Quamobrem omnes ſeriò contendant, vt externos, præcipuè ſeculares, quibus cum verſabuntur, arrepta prudenter occaſione ad pietatem, & ad reliquas Christiano homine dignas virtutes ſuis adhortationibus inflamment.

Aliorum dicta, facta nè quis facilè improbare aſſueſcat; neque ſeipſum ſuaquè commendare & efferre paſſim audiatur.

Circa modeſtiam, cùm ea ſit, quæ actiones hominis externas componit, & motibus eius honeſtum quemdam tribuit decorem, conabuntur omnes ita ſe gerere, vt vitæ genus, quod profitentur, regula quædam, & profeſſio modeſtiæ eſſe cognoſcatur. Eſt enim externa modeſtia index compoſitionis internæ. Quo circa ita ſe corpore componere ſtudebunt, vt capite & vultu honeſti, oculis verecundi, inceſſu graues videantur: voce moderata vtentur: nec incompoſitè amicti, nec nimis culti incedent: omnes præſertim ſeniores & Superiores reuerenter alloquentur: geſtus orationis comes ſit grauis & comptus, vt inde externi maximam in animo interiùs eſſe compoſitionem conijciant.

Modeſtiæ verò comites perpetuæ ſint benignitas & humilitas; itaut & eamdem vultus, & animi ſemper præferre compoſitionem adnitantur: modeſtiam enim laus, beneuolentia, & bona exiſtimatio conſequitur; immodeſtiam è contra auerſio, depreſſio, & contemptus.

De

De Capitulo Collegiali congregando, & culpis dicendis.

C A P. X V I.

CHaritatis præcipuum opus est errantes corrigere, & eosdem per humilitatis gradus ad perfectionis fastigium promouere. Proptereà octauo, vel quintodecimo saltem quoque die Capitulum Collegiale Superioris iussu, aut eo impedito, seu absente Vicesuperioris, campanula conuocabitur; & nisi Altare erectum sit in loco Capituli, mensa ibidem paretur, in qua Iesu Christi Cruci affixi effigies collocetur, cadiscus, liber Constitutionum, & actorum Capituli Collegialis, ac tintinnabulum reponatur. Omnibus consueto in loco congregatis Superior, aut Vicesuperior signum dabit flectendi genua, & orandi. Precum autem formula erit eiusmodi.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster, *Credo*. clara voce.

Vers. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.*

Resp. *Et renouabis faciem terræ.*

Vers. *Domine exaudi orationem meam.*

Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Vers. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna

solus,

solus, prætende super famulos tuos, & super Congregationes illis commissas spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum. Resp. Amen.

Mentes nostras, quæsumus Domine, lumine tuæ claritatis illustra, vt videre possimus, quæ agenda sunt, & quæ recta sunt, agere valeamus.

Defende, quæsumus domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni aduersitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidijs.

Deus largitor pacis, & amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, vt ab omnibus, quæ nos pulsant, tentationibus liberemur. Per Christum Dominum nostrum Resp. *Amen.*

Addatur oratio Titularis, seu Patroni Ecclesiæ.

Finita oratione surget Superior & sedebit, quod idem facient subditi omnes professi, alij stabunt: statimq; breuem proponet Superior adhortationem tempori & occasioni accomodatam: cùm dicendi finem fecerit, hoc Caput de Capitulo Collegiali congregando, & culpis dicendis Cãcellario vel ab alio, iubente Superiore, alta voce legatur, tùm singuli prodeuntes in medium Capituli, & genibus flexis proprias culpas externas humiliter, sed clara voce fatebuntur; primi omnium Hospites, & Aggregati, tum Nouitij, exinde Laici professi, mox Clerici, vltimo loco Sacerdotes ex ordine professionis, ità vt minores præeant, alij sequantur. Hospites, Aggregati, Laici, & Clerici antequam suas culpas aperiant, terram exosculabuntur; Sacerdotes manum, qua priùs terram tetigerint, ori admouebunt, tum inclinato capite dicent, *Deo gratias*, respondebitque Superior, *Semper*, & statim subditus initium propriæ accusationis in Domino faciet. Accusatione absoluta correptionem

nem vnusquisque libenter audiet, & poenitentias, siue mortificationes, quas illi iniungere voluerit Superior, grato hilariq; animo excipiet, inde facto recedendi signo Clerici & Laici denuo terram ore, Sacerdotes manu osculabuntur, & cum summa animi demissione ad propria loca reuertentur.

Nemo ex subditis quacumque dignitate præfulgeat, à culpa dicenda sit immunis, sed non professi egrediantur è Capitulo, cùm Professi se ipsos accusabunt. In Triclinio autem vbi publicę poenitentię publicis erratis iniunguntur, cùm Professi culpam dicent, non professi interesse poterunt: hoc enim ad exemplum ijsdem conferet.

In Capitulo dum aliquis à Superiore corripitur, excusationem afferre non possit, nisi petita priùs benedictione, & facta à Superiore potestate, qua etiam parcè, modestè, humiliterq. vtetur.

Si quis irreuerenter, vel immodestè se gesserit, vel imposito illi silentio non statim obedierit, dimittatur è Capitulo, & grauiter puniatur.

Superior coram subditis, præterquàm in aduentu Præpositi Generalis, seu Visitatoris, culpas suas non accusabit, Patres tamen rogabit, vt ex charitate suos illi defectus, aut excessus priuatim in cella significent, vel ex senioribus aliquem ad se admonendum mittant, se id æquissimo animo laturum, gratias omnibus habiturum maximas, & emendationem pro viribus, adiuuante Domino, in se ipso curaturum.

Quæ in Capitulo dicta vel gesta fuerint, extra Capitulũ referri omnino prohibemus, maximè si charitatem minuere poterunt: Capitulo & voce priuetur qui secus fecerit, alijsq. poenis iudicio Superioris & Seniorum mulctetur.

Culpis absolutis, Superior si contractum aliquẽ, vel quidpiam magni momenti in vtilitatem domus, aut Collegij prę

mani-

manibus habeat, re coràm ijs subditis, qui suffragium in Capitulo ferre possunt, proposita, calculisq. adhibitis illud efficiet, quod maiorem partem votorum velle compererit. In contractibus ea seruetur forma, quæ à decreto Sacræ Congregationis Concilij tradita est.

Suffragia deinceps nulli ferent, qui post Subdiaconatus susceptionem triennium non expleuerint. Si vero aliquis sacris initiatus, professionem inter nos emiserit, is post emissam professionem per idem temporis spatium in Capitulo Collegiali neutram vocem habiturum se sciat.

Antequam dimittatur Capitulum, ex charitate, & in Domino requiret à subditis, eosque rogabit Superior, num pro Dei cultu augendo, pro bono Congregationis nomine conseruando, pro bono item domus regimine aliquid admonendum ijsdem in mentem veniat, an alicui sit occurrendum scandalo, an necessaria cuiquam desint, an omnia, quæ ad victum & vestitum pertinent, ea sint æqualitate distributa, vt vnus non esuriat, alter ebrius sit; & liceat omnibus hoc tempore, & loco animi sensum aperire, ita tamen liberè; vt à dicendi libertate charitas, modestia humilitas, reuerentia numquam diuellantur, & voluntati, prudentięq. Superioris propriam vnusquisque voluntatem & sensum statim subijciat.

Absoluto Capitulo pulsabit Superior tintinnabulum, omnesque procumbent in genua, & orabunt vt infra.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster, & Salue Regina. clarâ voce.

Vers. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

Resp. *A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.*

Vers. *Domine exaudi orationem meam.*

Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Vers.

Verſ. *Dominus vobiſcum.*
Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Oratio.*

Præſta nobis, quæſumus Domine, auxilium gratiæ tuæ, vt quæ te auctore facienda cognouimus, te operante impleamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
Reſp. *Amen.*

Oremus. *Oratio.*

Protector noſter aſpice Deus, & ab inimicorum nos defende periculis, vt omni perturbatione ſemota, liberis tibi mentibus ſeruiamus.

Deus qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſumus, corda noſtra gratiæ tuæ ſplendore, vt dignè maieſtati tuæ miniſtrare, teque in æterna claritate diligere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
Reſp. *Amen.*

Retribuere dignare Domine benefactoribus noſtris viuis, atque defunctis vitam æternam.
Reſp. *Amen.*

Tum Superior conuerſus ad Patres, eorum conſalutationem excipiet, omnes cum ſilentio, & pace recedent, & ipſe vltimus omnium.

FINIS SECVNDI LIBRI.

LIBER TERTIVS

DE IIS QVÆ SPECTANT AD personarum, & domorum gubernationem.

Quales esse debeant Superiores nostri, & de illorum munere, ac facultate.

CAP. I.

SVPERIORES nostri tam Præpositi, quàm Rectores per vota secreta, vt lib. primo cap. de Definitorio dictum est, à Definitorij Patribus eligentur.

Electus Superior primo loco sibi proponat, vt vitæ viam subditis beneuiuendo magis, quàm bene dicendo, vel docendo indicet, atque enitatur, vt in se ipso ita expressum videant exemplar regularis disciplinæ, vt quod in alijs reprehēderit vitium, retorquere in ipsum subditi non possint.

Prò certo exinde habeat optimam rectę gubernationis regulam esse Constitutiones, & Decreta, quæ à Capitulo Generali, à Definitorio, à Præposito Generali pro rerum occasione sanciuntur: quæ quò diligentius, studiosiusque curabit vt obseruentur; eo laudabilior erit gubernatio, & Deo ipsi acceptior.

Elapso triduo postquam Superior ad proprium locū per-

uenerit, vel si ibidem degere illum contigerit, postquam de iniuncto sibi munere factus fuerit certior, quo triduo dabit operam, vt statum domus plenissimè cognoscat, subditos omnes solito signo conuocabit in Capitulum, literas quas patentes vocant, suę electionis testes publicè per Cãcellarium legi iubebit, & Capituli Generalis, vel Definitorij decreta si quæ sancita fuerint recitari: ipsi verò omnes ad orationis assiduitatem, ad studium perfectionis, ad prælucendum exemplo secularibus, & ad reliqua virtutum ornamenta, quæ propria sunt religiosi hominis, adhortabitur. Tùm inuentaria Sacrarij, Bibliothecæ, & supellectilium omnium, quæ tam in publicis officinis, quàm in priuatis cubiculis asseruantur, vel à prædecessore, si aderit, vel si aberit à Vicesuperiore recipiet, & quam primùm cum rebus ipsis conferenda curabit. Quòd si inuentaria desiderentur, vel res inuentarijs notatæ, quæ aut magni pretij sint, aut magna in quantitate, non reperiantur, hac de re, quæ grauissima censenda est, Præpositum Generalem, vel Visitatorem, & hic deinde Præpositum Generalẽ illico certiorem reddet, & nouos statim rerum indices per Vicesuperiorem, & duos ex senioribus confici iubebit, quibus cum ijsdem anno, mense, & prænotato die se subscribet.

Libellum etiam continentem obligationes Missarũ Anniuersariorum, & precum, quę illi Ecclesiæ incumbunt, ad se deferri præcipiet & simul cum prædictis rerum inuentarijs suo in cubiculo custodiet.

Nomina singulorum ex sua familia euulgabit, & suum cuique ministerium, ac munus assignabit, neque deinceps permittet, vt vnus in alterius officium sine licentia se ingerat.

Confessarios, qui confessiones Nostrorum auscultent, nominabit, & casus exprimet, quos sibi reseruare voluerit, iuxta decretum fel. rec. Clem. VIII. Præpositi Generalis sta-

tuta, casuum, censurarumq. reseruationes, si quas ille ediderit, promulgari, & libro actorum Capituli Collegialis, vt reliqua etiam pro bono domus regimine à se disposita adnotari pręcipiet.

Debębit tamen bis saltem, aut ter in anno subditis Confessarium vnum, aut plures extraordinarios concedere, qui intra tempus pręfigendum singulorum confessiones audite possint pro ipsorum conscientiæ tranquillitatæ.

Nouitatem aliquam non inducet, inductas verò consuetudines nec violabit ipse, nec violari permittet ab alijs: sed si quid videbitur iustas ob causas innouandum, cum maiori parte votorum sui Capituli id decernet, vel Præpositum Generalem consulet; & illud efficiet, quod ipse faciendum rescribet.

Superioris munus erit inuigilare omni solicitudine, vt diuinus cultus augeatur; vt Constitutiones nostræ & Decreta, sed tria potissimum vota inuiolatè ab omnibus obseruētur: vt sua singuli munera nauiter exequantur: vt concordia in subditorum animis, eadem ratio in moribus, in victu & vestitu, amor in Congregationem, reuerentia in Superiores & in seniores diligentissimè conseruentur: vt si quid rixarum, inter subditos excitatum fuerit, debita cum satisfactione protinus tollatur: vt malis & scandalis, quæ domi, vel foris siue imminere, siue contingere posse cognouerit, prudenter occurrat, & si quæ iam euenerint, opportuno remedio sanet: vt nihil relinquat intentatum, quò subditum tentatum, atque adeò deficientem, desidiosum, titubantem excitet, adiuuet, confirmet. Quamobrem eniti debebit, vt singulorum ingenia, propensiones, animi morbos agnoscat, & ex sanctorum Patrum, & magistrorum spiritualis vitæ libris tamquam ex officinis studebit opportuna depromere, & habere in promptu remedia, quibus ægrotantium subditorum animos facilè curet.

Eiusdem

Eiusdem etiam munus erit Clericos quamquam sacris initiatos octauo quoque die accersere, & quid in spiritualibus profecerint, ab vnoquoque illorum cognoscere: ad culpas dicendas, & ad alia pro rerum occasione peragenda Capitulum congregare: communes officinas interdum adire, & explorare, num ministri suo satisfaciant officio: inuestigare num intra, vel extra cubicula aliquid fiat, quod fieri dedeceat: claues Reliquiarum perpetuò, Ecclesię verò, & domus nocturno tempore apud se custodire; & postquam Aedituus, ac Ianitor claues ad ipsum detulerint, ex improuiso sæpius inspicere, num reuera fores occlusæ clauibus fuerint: libros omnes qui aliquid lasciuum continent, de medio tollere: literas à subditis ad alios, vel ab alijs ad subditos datas aperire, legere, obsignare, de ijsdem reddendis, aut non reddendis id statuere, quod ad maiorem Dei gloriam expedire cognoscet.

Superior Clericorum professorum, qui vt in bono spiritu, regularisque disciplinæ obseruantia meliùs constabiliantur, in secundo nouitiatu seu professorio educantur, in eam curam seriò incumbet, vt præter communes omnibus Constitutiones, suæ ipsorum peculiares inuiolatè ab illis obseruentur, præcipuè vt vitæ spiritualis magistro promptè obediãt; vt propriæ conscientię statum, propria item vitia eidem semel saltem in hebdomada, nisi id præstare malint coram Superiore, liberè & sincerè in Domino aperiant; vt, quoties Missæ inseruiunt, terram exosculentur statim post eleuationem tam hostiæ, quàm calicis, magna cum humilitate Iesũ Christum adorantes; vt cum prodeunt in aliorum conspectum, oculos demittant, caput pectus versus aliquantulum inclinent; non inflectant ad dexteram, neque ad sinistram; vt iunctis ante pectus manibus è Choro in Ecclesiã exeant, & intersint rei sacræ; vt cum verrunt Ecclesiæ pauimentum, cum altaria vestiunt, & ornant, vel suis exuunt

orna-

ornamentis,silentium non violent ; vt latinè inter se statis diebus vbique loquantur;vt omnes simul cum proprio magistro, vel cum illius Vicesgerente domo egrediantur; vt ab antiquiorum professorum,quicumq; illi sint, consuetudine & colloquio prorsus abstineant ; vt habitatione ab ijsdem segregata vtantur ; vt in externis actionibus modestiam cum humilitate, hilaritatem cum grauitate, munditiam cum religiosa decentia, incessum,gestum, & motum cum decore coniungant ; vt sine obedientia nihil omnino attentent, aut efficiant, nihil cuiquam dent, aut à quoquam,ne ex Nostris quidem accipiant mutuò, & multò minus dono, vel alio quouis titulo ; vt neminem ex secularibus alloquantur, nisi præsente Superiore,& magistro, vel magistri socio ; vt politioribus literis quam maximè delectentur : vt studiosè in seipsis corrigant maternas voces , & pronunciandi modum , cum barbariem aliquam redolere videbuntur ; vt in subigenda propria voluntate, & in moderando intellectu atque iudicio assiduè , & ex industria exerceantur ; vt dum à Superiore , vel à preceptore corripiuntur, statim genua flectant, respondere non ausint, neque assurgere , nisi deosculata prius terra , & obtenta benedictione .

Debebit prætereа Superior paterna charitate & beneuolentia subditos omnes sic amplecti,vt amari se potiùs,quàm timeri velle demonstret , ea tamen moderatione , vt amans timeri debeat,& iratus amari, atque ideo cauebit, ne nimia cum subditis familiaritas ipsum reddat contemptibilem , nec immoderata grauitas odiosum .

Accedentes ad se subditos; vt tentationes, inspirationes, animi sensa, atque etiam morbos aperiant, benignè libenterq. audiat, consolari conetur, inuitet vt confidenter veniant,& quantum Deus permiserit, placida quiete, & spirituali consolatione recreatos à se dimittat .

Par-

Partium ſtudium ita declinabit, vt virtuti tamen, humilitati, doctrinę laboribus, ac meritis plurimum tribuat: elatos verò animos, viriliter in Domino reprimere non prætermittat.

Aegrotantibus vt nihil deſit, vigilantisſima charitate ſtudebit. Omnium neceſſitatibus tam animæ quàm corporis, ſubditis etiam non efflagitantibus, magna charitate & ſolicitudine proſpiciet. Publicas adhortationes in Triclinio, vel in Capitulo frequenter habebit. Frequentiùs tamen priuatis colloquijs, magna ſignificatione charitatis ſubditos conſolabitur, & ad ſtudium perfectionis inflammabit. Libros ſpirituales, & alios iuxta ſingulorum indigentiam, profesſionem, & intelligentiam omnibus ſubminiſtrabit. Choro & Triclinio, atque etiam primæ menſæ, niſi grauiter ſit impeditus, ſemper intererit.

Libellum habebit, in quem ea omnia referet, quæ ſibi ad Dei cultum augendum, & ad bonum domus regimen ſubinde occurrerint, vt illa Pręposito Generali, ſeu Viſitatori & ſuis etiam Senioribus communicet.

Inuigilabit vt Parochi & Viceparochi opportunè, religioſaque charitate Sacramenta Confesſionis, Euchariſtię, Extremę vnctionis infirmis adminiſtrent. Alios etiam confeſſarios pro rei occaſione ad audiendas confesſiones pauperum, & eorum, qui in carceribus, & triremibus detinentur, ad illos iuuandos, qui capitis damnati ad ſupplicium ducendi ſunt, libenter mittet; & qui mittentur, hoc pietatis opus cum hilaritate amplectantur.

Negotium, curamue nulla ſuſcipiet, quę ita illum occupet, vt munus ſuum rectè exequi non poſſit. Cum alijs, qui proprijs in miniſterijs negligentiores, aut ſordidiores fuerint, pœnarum remedio vtatur, prout ęquitas & ratio dictauerit.

Inſignes locorum noſtrorum benefactores non modò ſuperſtites

perſtites, ſed etiam vita functos publicè nominatimq; aliquando commẽdabit, vt & illorum memoria apud Noſtros ſit diuturna, & temporalia beneficia beneficijs ſpiritualibus, precibus nimirum, & ſacrificijs compenſentur.

Seniores honorabit, ſed eorum defectus, atque exceſſus, maximè ſi ſcandalum adoleſcentioribus parere poſſint, numquam diſſimulabit, imo benignè quidem, ſed tamen ſeriò corripiet, & corriget. Quò enim error auctoritate, dignitate, ætate errantis eſt grauior, eò eſt etiam periculoſior.

Reliquis Collegijs, & noſtræ Religionis domibus ex intimo charitatis affectu ſtudiosè faueat, & eorum neceſſitatibus, quantum cum Præpoſiti Generalis, & ſui Capituli Collegialis conſenſu poterit, ſubueniat.

Conabitur conſequi ſuadendo, vt ſinguli ex ſubditis ſemel ſaltem quotannis ſe ipſos colligant, & ab omni alia cura ſeiuncti per dies decem, vel quindecim ſpiritualibus exercitijs toti, & ex animo vacent.

Præpoſito Generali, & Viſitatoribus eamdem præſtet obedientiam, quàm à ſuis ſubditis ſibi deſiderat exhiberi.

Ad Superiorem etiam ſpectabit, omnium ſanitati conſulendo, prohibere quæcumque infirmare illam poſſe animaduerterit, & prouidere quæ cognouerit confirmare eamdem poſſe: ſingulis ſaltem hebdomadis, & quoties opus fuerit, de rebus ad gubernationem attinentibus, ne quid faciat ex proprio ſenſu, cum Senioribus agere, qui deinceps à Definitorio, vel à Præpoſito Generali nominabuntur, & cum eorum conſilio punire ſubditorum grauia errata, quibus in noſtris Conſtitutionibus peculiares pœnæ ſtatutæ non ſunt.

Caueat tamen, ne ſubdito prouinciam nimis oneroſam, aut viribus illius imparem, ſeu etiam verbis aſperioribus

iniungat, ne nimio rigore, perpetua ſeueritate, contractoq; ſupercilio imperet, ſed ex amore naſcatur imperium, & cum amore illi pareatur. Omnem ſuſpicionem maleuolentiæ à ſe ipſo, quantum poterit, amoueat; & fugiat contentiones, verba, & multo magis iniurioſa verbera.

Archiuium optimè conſtructum, & clauibus bene munitum in ſua, vel aliena, ſed tutiſſima cella quiſque Superior habeat: in eo diplomata Pontificia, Breuia, libri diſtinctè, atque ordine continentes bonorum omnium Domus & Eccleſiæ, redituum, iurium, & obligationum tam ſpiritualium, quàm temporalium inuentaria, & nomina debitorum, & creditorum aſſeruentur, præterea inſtrumenta omnia authentica, ſcripturæ, ſyngraphæ, atque huiuſmodi alia, quæ numquam niſi magna neceſſitas tulerit, inde extrahantur, & ſi quando fuerint extracta, pagella in ipſo Archiuio affigatur, quæ cuinam, & quando tradita ſint demonſtret: proprijs locis ſtatim ac fuerint reddita reponantur: exemplaria, ſeu illorum nota ſint apud Procuratorem Domus, clauès apud Superiorem.

Libros accepti & expenſi Superior in ſuo cubiculo fideliter cuſtodiat, ſicut & capſam pecuniarum duabus diuerſis clauibus obſerandam, quarum vna apud ipſum, altera apud Procuratorem Domus aſſeruetur, addita etiam tertia, ſi ita Præpoſito Generali expedire videbitur.

Rationes accepti & expenſi ſingulis menſibus à Superiore recognoſcantur, conuocatis ad id Viceſuperiore, Procuratore Domus, & vno Seniorum, ſubductiſque rationibus ab iiſdem ſubſcribatur.

Poteſtas autem Superioris hæc erit, vt poſſit aliquot caſus ſibi reſeruare: præcepto ſanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ ſententię, vel ſuſpenſionis cum conſenſu Viceſuperioris, vel vnius ſaltem ex Senioribus ſubditos (ſed non paſſim) conſtringere: leges peculiares, quæ

bonum sui Collegij, vel Domus respiciant, nostrisque Constitutionibus non aduersentur, cum voto Seniorum vel Præpositi Generalis statuere & promulgare, ad quarum obseruationem volumus omnes, & singulos illi subditos teneri: iusta existente causa & cum suis, & secum dispensare in ijs, quæ ad communis vitę disciplinam pertinent, ad breue tempus tamen, & in leuioris momenti rebus: poenitentias cuilibet erranti pro qualitate erroris, & ad præscriptum Constitutionum imponere: eleemosynas vsque ad nummum aureum in singulos menses, & si pinguioribus fortunis loca gaudebunt, vsque ad duos erogare pauperibus, non tamen apud se diu retinere: in causis grauissimis vt vulnerum, violationis voti castitatis, furti, & similium contrudere reum in carcerem, adhibitoque Cancellario, testes coram duobus ex Senioribus, si adfuerint, examinare, & processum, quem vocant informatiuum, construere; ad sententiam verò definitiuam deuenire, nisi obtenta prius à Pręposito Generali facultate, non poterit: subditum peruicacē, nimia superbia tumidum, nimis iracundum, qui cum periculo scandali, multò magis, qui cum aliorum scandalo Superiorem liberè carpere, vellicare, aut in eumdem audacter insurgere, vel inuehi ausus fuerit, cum Seniorum consilio in cubiculum, siue etiam in carcerem includere, donec Præpositus Generalis, vel Prouincialis extra Italiam scripserit, qua sit ratione cum illo agendum.

Præterea licebit Superiori ministros omnes, Vicesuperiore, Parocho, Procuratore, & Cancellario exceptis, pro suo arbitrio eligere, & mutare; cùm autem experientia compertum sit frequentes ministrorum mutationes plerumque cum detrimento Domus fieri, ad illas non deueniet nisi necessitate aliqua compulsus: mortificationibus subditos exercere, prudenter tamen, ac moderatè, vt suorum animi in spirituali pugna roborentur, non frangantur: alia denique

omnia

omnia peragere, quæ vi iuris communis, nostrarum Constitutionum, priuilegiorum, & quomodocumque legitimè illi competunt, nisi aliud Præpositus Generalis, vel Patres Definitorij pro sua prudentia cum aliquo statuerint.

Apostatas, & profugos à Religione in eadem Ciuitate, vel vicinis in locis commorantes quilibet Superior tamquā Præpositi Generalis Commissarius in hac causa specialiter delegatus ad claustra reducere, in carcerem conijcere, adhibito etiam, si opus fuerit, brachij secularis auxilio, conabitur: contra eosdem inquirere, & animaduertere vsque ad sententiam definitiuam exclusiuè poterit, sed statim Præpositum Generalem commonefaciet, ad quem solum præterquam in mortis articulo, absolutionem excommunicationis contractæ ab Apostatis spectare decernimus: in Gallia verò ad ipsum Prouincialem.

Cum nostri Superiores pro Domorum varietate non eodem titulo, seu nomine nuncupentur, præsenti Constitutione declaramus eos, qui nostris præsunt Collegijs, in quibus quatuor ad minimum Sacerdotes cum Superiore inclusiuè commorari solent, Præpositos; qui Academias, Seminaria, loca Orphanorum, & Domos moderantur, in quibus pueri educantur, dicendos esse Rectores. Præpositorum Vicesuperiores Vicepręposìti, & qui Rectorum vices gerunt, Prorectores appellabuntur.

Nullum pecuniæ, aut rerum quarumcumque depositum, quod aureorum viginti pretium superet, accipiat à secularibus, vel retineat, vel retineri à subditis permittat, vel accipi sine Seniorum consensu scriptis expresso. Pecuniam ad viginti aureos amicis petentibus mutuò credere, & ab ijsdem mutuò recipere poterit, cum Seniorum tamen consensu, non aliter; vltra dictam summam cum Capituli Collegialis voto, quo sine si Superiores ære alieno Domos oppresserint, deponantur ab officio, & alijs pœnis afficiantur

arbitrio Præpositi Generalis, Visitatoris, & Consiliariorum.

Si qui vt immunitate Ecclesiastica gaudeant, ad Ecclesias & loca nostra confugerint, quando vltra tres dies apud nos fuerint commorati, Superior Præpositum Generalem, vel Visitatorem admonere teneatur, interim nemo nisi permissu Superioris audeat cum illis colloqui, nedum familiariter agere.

Seculares hospitij gratia in nostris Domibus non facilè recipiantur, quamuis de Congregatione optimè sint meriti, vel dignitate & opibus insignes: recepti verò vltra triduum non commorentur, nisi cum licentia Præpositi Generalis, vel Visitatoris, vel Capituli Collegialis, & cum ijs sine facultate Superioris nemo familiariter conuersetur.

Hospites inseruiendi gratia admitti poterunt à Superioribus, sed cum Seniorum consilio; qui tamen ab aliqua ex nostris Domibus eiecti fuerint, recipi non possint in aliam, nisi cum Præpositi Generalis,, vel Visitatoris licentia. Idem de Nouitijs semel eiectis decretum sit.

Si ad Capitulum Generale, seu Definitorium profecturus erit Præpositus, vel Rector, ante discessum conuocatis subditis, quid cuique opus sit., diligenter videat, & prouideat; ne vbi discesserit, illius Vicesgerens infestetur, cui præsenti Constitutione inhibemus expensam aliquam præter ordinariam quotidiani victus facere, quæ præuideri potuerit ante Superioris absentiam, vel ad quam maxima necessitate iudicio Seniorum non impellatur.

A propria residentia Superiores nonnisi rarissimè absint, & si Vocales non fuerint, tempore Capituli, seu Definitorij à proprijs Domibus discedere, vel subditos eo tempore aliò proficisci permittere, culpa sit grauior, & pœna grauiore punienda.

In vnoquoque Collegio volumus carcerē construi tutum

qui-

quidem,sed valetudini minimè aduersum,& loco à frequentioribus remotiore: cum eo qui asseruatur in carcere,nemo loquatur ; nemo literas , vel nuntium ad eum mittat, vel ab ipso recipiat: debebit tamen Superior ex Sacerdotibus aliquem designare, qui confessiones illius audiat,& bis aut ter in hebdomada pijs collocutionibus eum consoletur.

Si vltra decem dies pro criminis grauitate aliquem retinere in carceribus sit necesse, non solum carcerationis, sed tertius causæ statum Superior Præposito Generali significet, in Gallia Prouinciali.

Præpositi & Rectores in libro Actorum Capituli Collegialis adnotari curabunt, quicquid notatu dignum in suis ipsorum domibus acciderit , vt Ecclesiæ vel Altarium consecrationes:quo quisque die Religionis habitum susceperit, vota emiserit,ordines susceperit ex hac vita abierit,quæ pietatis signa moriens dederit,quæ verba exhortationis adstātibus dixerit,quantum humilitati, orationi, obedientiæ, silentio viuens detulerit:& si quid magni momēti illi domui, vel Ecclesiæ dono datum , vel testamento legatum fuerit: si quæ gratiæ, vel miracula votis nuncupatis Deo, vel Beatæ Virgini vel Ven. Patri nostro Hieronymo, aut Cęsari de Bus, siue alicui imagini, quæ apud nos extet, à viris, vel mulieribus fide dignis referantur ; eadem statim curabunt authentica fieri denique præcipuorum benefactorum nomina & similia.

Liber autem huiusmodi in cubiculo Superioris fideliter asseruetur, sed quæcumque adnotata fuerint, describantur iussu Superioris à Cācellario Capituli Collegialis;& à Superiore, Vicesuperiore, ab eodemque Cancellario subscripta ad Definitorium mittantur,& relationes huiusmodi in publico Religionis tabulario perpetuò custodiantur.

Dabunt operam Præpositi & Rectores , vt pro maiori Dei gloria,& proximorum salute in nostris Collegijs & Do

mibus Oratoria ad ſeculares ſpiritualibus exercitijs inſtruẽdos inſtituant,& vbi iam inſtituta ſunt, omni ſtudio augere, eorumque pia opera promouere conabuntur, quò hac etiam in re Ven. Patris noſtri Hieronymi charitate, ſerendęq; in alijs pietatis ardorem imitemur.

De Vicepræpoſitis, Prorectoribus, & Procuratore Domus.

CAP. II.

VNuſquiſque Superior ſuum habeat Viceſuperiorem, vbi plures Sacerdotes commorabuntur. Hic autem vel à Definitorij Patribus, vel à Capitulo Collegiali ſecretis ſuffragijs eligetur.

Si quis ex Vocalibus Capituli Generalis ſit à Definitorio alicubi deſignatus, qui communes obſeruantias obire poſſit, ille, ni ſecus à Definitorio decretum fuerit, Vicepræpoſitus ſit abſq; vlla alia electione; quod ſi ibidem plures eſſent Vocales, profeſſione antiquior id habeat muneris, quo nolente, vel ceſſante, ſuffectus intelligatur alius ordine profeſſionis ſeruato. Idem ſtatuimus, ſi aliquem diſcedere contingat, quem Definitorium, vel Capitulum Collegiale elegerat, huic enim immediatè ſuccedet Vocalis, qui ibi tunc deget.

Vicepræpoſiti, ſeu Vicerectoris auctoritas ea legitimè erit, quæ à Præpoſito, vel Rectore ipſi communicabitur.

Eorum munus, & officium erit, abſente præſertim Superiore, illius vices agere, ſpirituale & temporale regimen interim exercere, numquam tamen à Superioris voluntate recedendo, niſi in repentino aliquo caſu aliter faciendum prudentia, & Seniorum conſilium ſuaſerit; ſed ſtatim, & diſtinctè de cauſis factæ deliberationis docendus erit Superior

rior:caucbũt autem,ne tunc temporis quidquam innouent, aut ab alijs innouari permittant: ſuam omnem curam, atq; induſtriam in eo precipuè collocabunt, vt Conſtitutiones noſtræ, ſtatuta, & decreta exactiùs, ſi fieri poterit, quàm præſente Superiore obſeruentur.

Dum Prępoſitus, ſiue Rector aderit, Vicepræpoſiti, ſeu Vicerectores curabũt,vt Eccleſia, Chorus,Sacrarium,Clauſtra, loca omnia munda ſint & nitida: tamquam manus & brachia ſint Superioris,quæ eum & iuuent in gubernatione, &protegant à detrahentium labijs, ſi quos aliquando eſſe ad humilitatis & patientiæ exrcitium Dominus permiſerit: communes officinas quotidie viſitent; & obſeruent, num miniſtrorum aliquis ſuam ſinat operam,diligentiam,& charitatem deſiderari: num cibi tempeſtiuè domũ cõportẽtur, & ſani comparentur: num benè coquantur, condiantur, & cum æqualitate diſtribuantur.Præceptorum & ſtudentiũ pręcipuam curam gerant, vt nihil ijs deſit ex neceſſarijs, vt veſtes,& quæcumque lacera eſſe viderint,reſarciẽda ſtatim curent,& paternam cũ ijs ſollicitudinem potiſſimùm exerceant,quos de ſe ipſis vix cogitare animaduerterint. Charitate in infirmos vtantur maxima,& charitate etiã miniſtros deficientes moneant,errantes corrripiant,de omnibus tamẽ certiorem reddant Præpoſitũ,ſeu Rectorẽ,maximè ſi imminenti alicui malo occurrendum ſit,vel iam ſequuto ſuccurrendum.

Niſi Definitorium,vel Præpoſitus Generalis,vel Superior ipſe alium deſignent,ad Vicepræpoſitum,aut Vicerectorem tamquam ad magiſtrum rerum ſpiritualium ſubditi confugient, vt internas cogitationes & tentationes fidenter ijſdẽ aperiant: quos illi peramanter auſcultabunt,& pro vniuſcuiuſque neceſſitate remedia proponent, quæ vel ipſimet experti in ſe ipſis fuerint,vel ex oratione,aut lectione librorum ſpiritualium hauſerint.

Partes

Partes etiam Vicesuperioris erunt exemplō reliquis esse taciturnitatis, modestiæ, disciplinę, & maximę tum reuerentię, tum obedientię erga Superiorem maximæ item promptitudinis ad Chorum & ad orarionem; Laicos singulis diebus festis ea, quæ spectant ad salutem animæ, ad Cōstitutionum obseruationem, & Doctrinam Christianam edocere, atq. consolari, quādocūq. mœstos, afflictos esse cognouerit.

Si Superiorem aliqua in re errare, vel in Constitutionum obseruatione, aut in seipso, aut erga alios languidum, & remissum esse viderit, si subditos de aliquo illius errato conqueri audierit, præmissis ad Deum precibus reuerenter eum conueniet, & monebit petita priùs ab eodem liberè loquendi licentia: si audire recusauerit, vel post vnam, & alteram admonitionem non se correxerit, Pręposito Generali, aut Visitatori scripto referet omnia.

Cæterum vt officio, & cura, ita animo, consilio, & spiritu studebit esse cum Superiore coniunctissimus.

Quod ad Procuratorum attinet. Vnumquodq. Collegiale Capitulum Procuratorem votis secretis eliget aliquem ex eiusdem Collegij familia, virum in negotijs tractandis versatum, fidelem, prudentem; humilem tamen, & patientem, qui suo agendi modo seculares ædificet, & beneuolos sibi, Religioniq; faciat: durabit is ad annum, sed confirmari poterit pro libito Capituli Collegialis.

Huius partes erunt lites tractare, iura, reditus, bona immobilia Collegij, siue Domus ne ab extraneis vsurpentur, omni cura custodire.

Sed lites numquam Procurator intendat nisi coactus, atque vbi internæ prius externæque etiam cum aduersarijs concordiæ amantem se demonstrarit, & tunc cum Superioris obedientia. Ante Iudicum tribunalia raro admodum, & Superiore iubente cōpareat, sed agat per seculares Procuratores, siue per Iurisperitos arbitrio Superioris deligendos.

Contra

Contra Principes, vel Prælatos causam aliquam magni momenti instituere ipsi etiam Præposito, Rectori, & Superioribus omnibus prohibetur sine Præpositi Generalis, vel Prouincialis licentia, excepto repentino casu, qui moram non patiatur.

Cancellarius etiam à Capitulo Collegiali nominandus erit, qui Capituli Collegialis acta & Capituli Generalis, vel Definitorij decreta, Præpositi item Generalis, & Visitatoris ordinationes in libro, cui titulus erit, Acta Capituli Collegialis fideliter, & claris, distinctis, intelligibilibusq. characteribus describet & subscribi à Superiore faciet.

Durabit is ad arbitrium Collegialis Capituli, & eorum omnium, quæ libro adnotata sunt, curabit indicem conficere, & memorię imprimere, & liber sit penes Superiorem.

De alijs Officialibus, seu Ministris, & primò de Aedituo seu Sacrista.

C A P. I I I.

MAximopere cupimus & hortamur, vt semper si fieri commodè poterit, Sacrario Sacerdos aliquis præficiatur, & eidem vnus ex Professis vir honestus, grauis, & planè religiosus pro humilioribus exercitijs subijciatur.

Qui à Superiore nominatus fuerit Aedituus, cum primis diligentiam in nitore, & cultu Ecclesię desiderari non patiatur: curabit vt munda pauimenta sint, purgati ab aranearum telis, & sordibus quibuscumque parietes: vrceoli candelabra, vasa, altarium mappæ, & ornatus, flores tam naturales, quàm artefacti, sacræ Sacerdotum vestes, & quęcumque diuino cultui sunt dicata, sint nitida, compo-

sita, bene in Sacrario suis locis disposita; & hac in re operam, sollicitudinem, imo & cogitationes suas, vt in Dei obsequium libenter impendet; & statim indices rerum omnium, quę in Sacrario, atque in Ecclesia asseruantur, ac notas obligationum describet in libello, quem apud se custodiet; & sæpe legendo percurret.

Si quid fractum, si quid furto ablatum, vel alia quacumque ratione deperditum fuerit; quamprimùm significabit Superiori, cui similiter statim ostendet quicquid dono datum fuerit, & mox etiam addatur indici.

Fidelem se in eleemosynis adnotandis, & Superiori tradendis exhibebit; candelas cereas, frustula item cerea nec emere, nec vendere, neque aliam quantumuis minimam expensam facere audit inconsulto Superiore.

Clausum retinebit semper à prandio Sacrarium; Ecclesiæ fores aperiet & claudet hora à Superiore præscripta; Patres in Chorum ad horas tam nocturnas, quàm diurnas conuocandos; initium missis dicendis, finemque faciendum; constituto tempore in Ecclesia & in sacrario seruandum silentium diligentissimè curabit.

Mulieres in Ecclesia commorari post vespertinę Salutationis Angelicę signum non patiatur.

Vocatus præsto sit & satagat vt Nostri promptè deseruiant omnibus; sed ijs præsertim, qui Ecclesiam frequentant, de nobisque sunt benemeriti.

Familiaritatem cum mulieribus, quęcumque illę sint, nullam prorsus inibit, colloquia cum ijsdem rarissima, breuissima, & religiosam grauitatem, atque modestiam redolentia habebit. Non cursitet per Ecclesiam, sed modesto incessu, deuoto aspectu, ac humili inuigilet omnibus, quæ sui sunt muneris.

Prouidebit quàm poterit accuratissimè, ne canes templum ingrediantur; ne pueri molestiam faccessant Sacer-

doti concionanti, vel celebranti, aut populo oranti; ne mendici per idem templum discurrant petentes eleemosynam.

Opportunè disponet ea omnia, quæ ad rem sacram faciendam sunt necessaria, & Sacerdotum, qui celebraturi, atque eorum qui inseruituri sunt, ordinem numquam inuertet; nisi præmonito Superiore: repentinum tamen casum excipimus, in quo aditus ad Superiorem esse non possit.

Idem diligenter studeat, vt Alba quaqua versus digito vno, duobus ad summum circa Sacerdotum pedes absit à terra, nec vnquam quid lacerum, quid immundum adhiberi sinat.

Quisquilias, vel aliquid sordium videri in Ecclesia, in Sacrario, aut adiacentibus locis non permittat.

Fœtorem qui ex sepulturis æstiuo præsertim tempore exhalat, supprimere conabitur grato aliquo odore, aut suffimento.

Sacerdotum sacræ vestes, Missalia, & Calices, Missis omnibus absolutis statim reponantur, sitq; omnis supellex suis in locis, & armarijs optimè semper disposita; armaria clauibus occludantur, claues loco secreto seruentur.

Ordo recitandi diuini officij, qui singulis in Ciuitatibus quotannis imprimi solet, ad interiorem partem valuarum Sacrarij retineatur appensus.

Secularium hominum famulatu Sacrista non vtatur, nisi necessitate coactus, & cum Superioris obedientia.

Opportuno tempore Sacerdotes celebraturos præmoneat, Missis ad mentem eorum, qui eleemosynas largiuntur, satisfaciendum curet, & munus ferè Angelicum Angelica puritate, solicitudine, dignitate studeat exercere.

De Bibliothecario.

CAP. IV.

CVm in vnaquaque ex nostris Domibus amplam & locupletem peroptemus Bibliothecam extrui, & instrui, illius cura Sacerdoti, vel saltem Diacono demandetur, viro docto, probo, & solerti. Is verò apud se habeat librorum indicem, qui in Bibliotheca extiterint, in eoque ità erunt alphabetico ordine descripta nomina auctorum, & quo quisque loco, classe, pluteo locatus sit, vt facilè occurrant illos inquirenti.

Vbi legentium commodo libri deseruierint, curet Bibliothecarius in eodem, à quo fuerant sublati, loco reponendos, nec extra Bibliothecam sinat efferri sine licentia Superioris in scriptis obtenta; extra Collegium verò non nisi etiam de Superioris consensu cùm voto duorum ex Senioribus.

Quòd si aliò commigrandum sit ei, qui ex Bibliotheca libros acceperat, det operam Bibliothecarius, vt is ante discessum eosdem restituat.

Describet in libro, quem asseruabit in Bibliotheca, libros singulos, qui in Patrum aut Clericorum vsum à Superiore concessi fuerint, annum item, mensem, & diem quibus ex Bibliotheca exportati; ijsdem redditis, quòd fuerat scriptum, deleatur.

Nemo Bibliothecæ claues nisi Bibliothecarius, & Superior retineat. Alij omnes (nisi ex causa dispensare cum aliquo voluerit Superior) à Bibliothecario in Bibliothecam admittentur; eiusque fores obseratæ semper erunt.

Libris singulis suos titulos exteriùs inscribet, vt facilius cognoscantur, cauebitque ne ijdem puluere, aut tineis corrodan-

rodantur, ne complicentur eorum folia; vel dilacerentur, ne atramento, vel alijs maculis conſpurcentur.

In vertenda Bibliotheca diligentia vtetur maxima, ne puluis eleuetur, libriſq. adhæreſcat, eamdem Bibliothecam ita digeret; & diſponet, vt illam adeuntibus religioſus nitor eluceat.

In virtute autem ſanctę obedientiæ præcipimus, & inhibemus ne librum, ſeu libros & manuſcripta etiā proprio vſui cōceſſa quiſquā alienare audeat, vel ſi iam deſtinata fuerint, ab vno in alium ex noſtris locis transferre ſine Præpoſiti Generalis, vel Prouincialis, vel Capituli Collegialis conſenſu ſcriptis expreſſo.

Vbi contigerit aliquem ex Noſtris ſupremum diem claudere, videat Superior, num poſt ſe reliquerit ſcripta, vel elucubrationes, ſiue politioris literaturæ, ſiue ſcientiarum, vel etiam concionum, quæ ſi profutura intelligat poſteritati, & in publicam Bibliothecam inferet.

De Ianitore, & alijs miniſtris.

C A P. V.

CVm Ianitoris officium in bene conſtituta domo tanti ſit, vt ab illo maxima familiæ commoda iuxta ac incommoda pendeant, idcirco qui huiuſmodi munus iuſſu Superioris ſuſceperit; laicus erit profeſſus, non nouitius; & vir ætate prouectus; comis, ſuauis, moribus, pietate, grauitate conſpicuus.

Meminerit ſe cuſtodem, & vigilem domus agere: aget autem, ſi ſedulò, ac aſſiduè ianuæ aſſidebit; vt pulſantibus citiùs ianuam aperiat; ſi literas, & ſchedulas omnes, quæ ab externis ad Noſtros, vel à Noſtris ad externos mittuntur; inſcijs

inſciis omnibus, Præpoſito, vel Rectori tradet: quod niſi præſtiterit, reus erit grauis, atque etiam grauioris culpæ, ſi ſæpius id facere omiſerit, vel magnum inde ſcandalum ſecutum fuerit.

Cum omnibus ita religioſè verſabitur & loquetur, vt ab eo facilè conijciant externi, quàm piè, quàm ſanctè reliqui viuant, qui in interiore clauſtro reſident.

Eleemoſynas, & munera quæcumque, & cuicumque mittentur, ſtatim deferet ad Superiorem, aut eo iubente omnium vſui, ac victui aſſeruabit: admonebit mox illum, ad quem miſſa fuerint, vt gratias agere poſſit benefactoribus, & pro ipſis orare: eadem etiam in libello ſcribet, vt qualibet ſexta feria legi poſſint ad menſam.

Cum mulieribus, quæ ad ianuam acceſſerint, longos ſermones ne habeat; nihil quouis prætextu det, aut commodet alicui: nihil ad proprium vſum dono, aut etiam titulo eleemoſynæ accipiat inſcio Superiore. Iocis, cachinnis, irreligioſis ſermonibus, aulicis verbis omninò abſtineat.

Cum pauperibus, qui ianuam frequentant, aget ex Superioris præſcripto.

Claues intra ſeram ianuæ, aut ianuam apertam numquã relinquet. Si Ianitorem occupatum eſſe aliquando contigerit, tunc claues non ad Ianitoris, ſed ad Superioris arbitrium alteri erunt aſſignandæ.

Propè ianuam vaſculum cum aqua benedicta, & pia aliqua imagine extet, vt egredientes eadem aqua ſeipſos aſpergant, & muniant contra tentationes omnes.

Qui confeſſionis gratia Domos noſtras adierint, eos ad loca pro confeſſionibus ſecularium hominum audiendis deſignata comitabitur Ianitor, & omninò prohibebit, ne ad confeſſariorum cubicula aſcendant.

In noſtris clauſtris pila, ſiue alio ludo ludere externis numquam permittet.

Nomina

Nomina omnium, qui domi commorãtur, in tabella prope ostium Collegij descripta sint, & Ianitor obuertat asserculos, in quibus nomina egredientium fuerint adscripta: aut alia quapiam ratione obseruet, vt sciat qui domi resideant, qui foras exierint.

Cum Parochum, siue aliũ ex Patribus domo egressis externus aliquis quęsierit, Ianitor statim scribet nomen & cognomen quęrẽtis, mox Superiori significabit omnia, & cum illius obedientia reuerteatem Sacerdotem admonebit.

Nocturno tempore ianuam non aperiet, nisi cum probè nouerit, qui pulsauerit, & causam didicerit, ob quam ad pulsandum ea hora aduenerit.

Quod ad reliquos ministros attinet, debebunt ij cum humilitate in ea vocatione persistere & proficere, in qua vocati sunt à Domino, orationi mentali, & spiritualibus exercitijs assidui esse; quotidie Missæ sacrificio interesse, spiritualique refectione spiritum recreare, & communire contra hostes quoscumquè; Superiorum iussa taciti, sed quàm poterunt accuratissimè obseruare; Sacerdotes summo honore venerari & alloqui; delectari silẽtio, ac modesta, & submissa voce colloqui; iurgia, atque contentiones omnes studiose declinare; extra communem mẽsam nihil cibi aut potus sine licentia sumere; mutua beneuolentia se ipsos in Domino complecti; in suis ministerijs charitatem cum diligentia, humlitatem cum solicitudine coniungere existimantes se non hominibus, sed Angelis, imò ipsi Deo seruire.

Dabunt etiã operam, vt munditìes maxima in rebus omnibus quamuis minimis eluceat, vt accuratissimi sint in re familiari custodienda, ita vt nihil dissipetur, nihil disperdatur: ligna, oleum, & huiusmodi res aliæ non insumantur, nisi quantum necessitas exiget: & assiduè secum reputent pauperes se esse, & pauperibus ministrare, neque aliam suis laboribus deberi mercedem, quàm cælestem & æternam.

De

C A P. V I.

CAutè omnino & ſeria tum diſquiſitione, tum deliberatione hac in re procedendum eſt, ne externorum, licet illuſtrium virorum rogatu admittantur, qui minimè diuino ſpiritu vocati videntur, & ad ſtudia literarum minimè apti, ſtupidi, inertes ſint, à quibus nihil laudis, nihil fructus ſperari poſſit; plurimum verò dedecoris, detrimenti temporis, laxitatis, & perturbationis meritò timeri.

Vbi igitur noſtrę Religionis habitum aliquis efflagitauerit, Superior probato prius per id temporis ſpatium, quod ſibi videbitur, illius ſpiritu, & in vocatione perſeuerantia Præpoſito Generali ſignificabit; qui Superiori eidem & duobus, vel alteri ſaltem ex Sacerdotibus ibidem degentibus, non conſanguineis, nec affinibus admitti cupientis mãdabit, vt illũ examinet, & diligentisſimè ſed prudẽter inquirant, quę ſit eius cõditio, quæ patria, qui parẽtes, quæ corporis habitudo, quæ ętas, qui mores, quæ amicitiæ, quæ dotes, quæ doctrina, quę indoles, quo ſpiritu ad noſtrum hoc inſtitutum amplectendum moueatur, à quo tempore vocari ſe ſenſerit, quem ſibi finem propoſuerit, an leuitate, vel aliquo humano affectu, aut inordinato animi motu ducatur, an aliquid in ipſo deſideretur, quod in ijs requirantur, qui noſtro veſtiendi ſunt habitu, & ſuis ſinguli reſcribent literis quid cognouerint, quid de illo ſentiant, idque ſumma fide, atque etiam iurati affirmabunt. Tum Præpoſitus Generalis matura ac diligenti conſideratione expendet ſingulorum literas, & quęcumque ad ſe reſcripta fuerint, ac ſi in Domino expedire iudicauerit, vt reijciatur, curabit magna cum dexteritate & ſuauitate

id faciendum; sin vt admittatur, iubebit vt idem Superior suo Collegiali capitulo (si tamen hac potiatur facultate) illum recognoscendum, & admittendum proponat, quod fiet cum maiori suffragiorum parte, lectis prius à Cancellario, examinatisque testimonialibus literis, quæ de vita, moribus, & ætate admittendi fidem adstruant. Quòd si hęc illi Capitulo desit potestas, ad aliud vicinius in eadem prouincia mittetur, cui eiusmodi sit impertita facultas, isque secum deferet Pręposit i Generalis literas, sine cuius expressa licentia neminem ad Religionem nostram in Italia admitti posse præsenti constitutione cautum sit.

Si verò ob nimiam loci distantiam non possit admittendus collegium aliquod ex nostris adire, satis eo casu fuerit testimoniales literas à Præposito generali prius visas, & approbatas ad Superiorem collegij, à quo recipiendus erit nouitius, mittere, illisque in capitulo lectis, examinatis, & comprobatis etiam absens proponi poterit, & admitti.

Recipięndi nullo sint ære alieno grauati, aut ratiocinijs reddendis obnoxij, non serui, nec matrimonio coniunĉti, nō diffamatis geniti parentibus, nullo crimine in seculo fœdati, non corporis vitio maculosi, aut deformes, non minores annis quindecim, nec maiores quadraginta, nisi cum illis Pater Generalis dispensauerit; natalium defectus non patiantur; quòd si quis hoc vltimo impedimento laborare dignoscetur, à Capitulo Generali tantummodo recipiatur, vel à Definitorio extra Capituli Generalis tempus, cum duabus tamen ipsius Definitorij partibus, tandem eas habeat conditiones, quæ à Pontificijs decretis & nostris Constitutionibus pręscribuntur.

Qui alterius Religionis habitũ etiã per minimũ tempus cum probatione detulerint, aut ætatis suæ annos quinquaginta excesserint, à Capitulo Generali solummodo admitti

poterunt. Qui verò vt hospites in alieno religiosorum cętu fuerint, vel quadraginta annis maiores sint vsque ad quinquagesimum, cum sola Præpositi Generalis licentia.

Illud etiam diligentissimè videndum est, an recipiendi parentes habeant re familiari ita destitutos, vt probabilis sit suspitio post filiorum professionem ipsos fore Cōgregationi nostræ molestos ad sui sustentationem, & ad inopiam subleuandam, & numquam patres nostri aliquem admittent, cuius parentes, sorores, aut neptes eâ premantur egestate, vt à nobis postmodū sint alendi, neque vlla omnino parentum renuntiatio, aut ab ijs, vel à quocumque alio præstita fidei iussio sufficere iudicetur, sed cautius agendo tales nec proponantur, nec propositi recipiantur.

Attestationes habeat idoneas Notarij manu cōscriptas cū legalitate quicūq; vult nostro habitu vestiri, quę diligēter asseruentur in Archiuio loci, vbi recipietur, & receptionis in libro actorum Capituli collegialis memoria consignetur.

Qui recipiendi erunt, priusquam habitu nostro vestiantur, certiores fiant de iuramentis à se emittendis ante professionem, vt plenius de his suo tempore deliberare possint, vel consilium mutare ante susceptionem habitus.

Ad Nouitiorum receptionem Collegia designētur à Capitulo Generali, & designata publicentur à Cancellario statim post personarum deputationes, neque aliud à designatis hanc sibi facultatem vsurpare audeat, neque Præpositus Generalis impertiri alijs Collegijs, vel Domibus possit, sub pœna arbitrio Definitorij irroganda.

Adolescentes optimæ indolis, minores quindecim annis, recipi possint ad habitum de licentia Præpositi Generalis nō tamen detur eis probationis cingulum: interim verò cum nouitijs versabuntur.

Antequam quis ad probationem recipiatur, per mensem, vel saltem quindecim dies in habitu seculari, sed modesto nobi-

nobiſcum viuat; ſignum probationis erit cingulum coriaceum.

De Nouitiorum inſtitutione

CAP. VII.

Nouitiorum in regulari quacumque Congregatione optima inſtitutio tanti facienda eſt, vt, cum ex hac vna conſequentis ætatis omnes laudabiles progreſſiones ferè dependeant, in ea etiam magnopere ſit inuigilandum, vt præclara quiſque iaciat fundmmenta probitatis; egregius enim Chriſti miles veteranus euadet quiſquis tyrocinium præclare inierit, & honorificè prodibit in campum, qui egregiè ſe exercuerit in religioſa probationis palæſtra. Quare in id vnum incumbent primum Patres, quod ad Nouitiorum informationem optimè ineundam pertinet, vt illis inſtituendis eum præficiant virum, & magiſtrum, qui ſpectabili ſit virtute, probitate, pietate, inſignis morum grauitate, quę tamen non faſtoſum animum ſubuoleat, ſed Chriſtianæ diſciplinæ redoleat ſanctitatem; qui ſeueritatem comi, & facili norit familiaritate condire; qui prudentia præſertim polleat; qui non obſcura dederit probitatis argumenta, & exempla, in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ſuæ ætatis anno ſit conſtitutus; magni enim eſt momenti, à quo quiſque doctore hauriat pietatis, & eruditionis documenta.

Quamobrem enixè ſtudebunt Patres, aliquem ex Vocalibus, qui in Comitijs generalibus ſuffragium ferunt, eligere, qui tantam prouinciam obeat, & ijs demum ſit cumulatè virtutibus ornatus, quas officij impoſiti dignitas poſtulat.

Hic eò cum primis animum, vireſque intendet, vt præſcripta Nouitijs inſtituta ſeruentur, eorumque obſeruan-

tiam exactè adeo ſuis à Nouitijs exiget, vt minutiſſimaquęque, & quæ leuiſſima exiſtimantur, magni ponderis eſſe ducat, violaſſe; vt non minus à leuibus erroribus abſtinere aſſueſcant, quàm à grauibus. Atque eo in munere perfungendo amplam auctoritatem habebit, nullique præterquàm Præpoſito, aut Rectori, & Superioribus maioribus ſubiacebit, & nemini in Nouitiorum inſtitutione, ac regimine, ijſdem Superioribus exceptis, quouis colore, ſe ingerere liceat.

Nouitiorum Magiſtro ſocius aſſignetur, qui Sacerdos ſit, & ſanctitatis exemplo præfulgeat. Hic pſallendi, & canendi rationem ex noſtro ritu Nouitios inſtruet, chorum frequentabit, illis aſſiſtet, tunc præſertim cum à prandio, vel à cœna recreantur, vel domo exeunt, & quoties impeditum eſſe Magiſtrum contigerit. Laicos Nouitios in obſeruatione noſtrarum Conſtitutionum, in rebus ſpiritualibus, & in miniſterijs domeſticis, ad quæ ſinguli deputati fuerint, inſtruet. Omnia loca domus circumſpiciet, & vt munda ſint, & vt omnia ſuo tempore peragantur, diligenter curabit.

Tertius etiam Sacerdos adiungi poterit, qui Procuratoris officium ſubeat, & non minus virtutum exemplo, quàm in negotijs agendis dexteritate, ac diligentia præſtet. Huic litium, redituum, alimentorum, quæ à Nouitijs ſoluuntur, & expenſarum, quæ pro ijſdem fiunt, omnium indumentorum quæ detulerint, cura à ſuperiore demandabitur. Tandem diſcet, & Nouitijs capillos tondere, veſtes conſuendo reſarcire, vt eorum neceſſitatibus pia charitate conſulat.

Ipſi autem Magiſtro ſoli Nouitiorum confeſſiones audiendi cura committatur: liceat tamen Superiori etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſe ipſum, vel per alium ab eo deputatum, ſemel, aut bis in anno eorumdem

Noui-

Nouitiorum confeſſiones audire.

Epiſtolas ſingulorum, vel quas Nouitij ad propinquos exarabunt, vel quæ ad Nouitios perferentur, prius leget, quas vt expedire cognouerit, aut mittet, aut legendas Nouitio concedet, aut conſcindet.

Cauebit ne Nouitius quempiam alloquatur ex ſecularibus, niſi ſe coram, aut ſocio ſuo Promagiſtro; nullum, ni prius facultatem ab ſe impetrarit, à quocumque recipiat vel leue munuſculum.

Interdicet prorſus cum profeſſis conſuetudinem omnem, & collocutionem.

Inuigilabit identidem, vt mentali orationi vacent, eiuſdemq. probè deſiderium imbuant, & ſcientiam illo ſpirituali exercitio mentem cum Deo ſacro quodam coniugio vniendi apprimè calleant.

Progymnaſmata præſcribet ſalubria carnis edomandæ per mortificationes voluntarias, ieiunia, cilicia, diſciplinas, & alia huiuſmodi, quæ diſcreta charitas pro ſingulorum indigentia ſuaſerit. Quid ad conſcientiæ puritatem, & ad animi candorem conſeruandum valeat, edocebit. Quàm ſæpè ſit illius diſcuſſio facienda; quantum ſit momenti poſitum in Sacramentorum frequentia ad fouēdam, & augendam pietatem: Efficiet, vt quotidiè Miſſæ ſacrificio interſint.

Omnem nauabit operam, vt à Nouitiorum animis ſuperbiam, iactationem, faſtum, ambitionem, arrogantiam radicitus euellat, hæc enim vitia ſi religioſum occupent, monſtrū creant, lupum ſcilicet ſub ouina pelle, qui Religionis viſcera; feruorem nempe, & zelum diſciplinæ depaſcitur; quamobrem per humilitatis exercitia, tum circa abiectiora miniſteria, tum circa culpas dicendas ad ſui contemptum, & earum rerum, quas ſeculum iactat, deſpectum inducere, & inflammare conabitur.

Ad

Ad obedientiam, quæ, vti D. Augustinus ait, mater quodãmodo est, custosq. virtutum omnium sic eosdem animabit, vt felicissimam existiment sortem obedientis, infelicissimam inobedientis, ac proinde certatim contendant in huius consecutione & executione virtutis, nec in ea quisquam se superari patiatur ab alio.

Eriget illos sæpè ad interiores animi conturbationes, tẽtationes, affectus, propensiones sibi aperiendas & quibus tentationibus quatiantur, identidem explorabit.

Diligenter obseruabit, quem in virtutibus progressum ijdem fecerint, quem ex oratione, aut ex mortificationibus fructum retulerint, quam speciem ingerant futuræ probitatis, & doctrinæ, atque de vniuscuiusque progressu, moribus, ingenio Præpositum Generalem singulis mensibus per literas edocebit.

Meminerit sui præsertim muneris esse spiritus interni culturam summo studio exercere, quam ne vmquam negligat monemus, & hortamur in Domino, cui commissi huius gregis in nouissimo die reddenda est ratio; omnem ideo mouebit lapidem, vt pietatem, modestiam, verecundum animum induant, & maximum in institutum quod amplexi sunt, amorem, imò & ardorem.

Curabit vt externam munditiem quasi testem interioris nitoris præseferant, paupertatem ament non sordes, exquisitiore vestium compositione, quæ signum vanitatis est, non delectentur, sed habitus, vultus, verba, incessus, externa denique omnia, mores graues, & religiosos exprimant.

Statis interdiu horis Ecclesiasticis ceremonijs exercebuntur, vt quæ ad sacrum Ecclesiæ cultum pertinent, non ignorent, præsertim Ecclesiasticum cantum condiscant.

Prouectiores ætate Nouitij qui erunt, ijdem studebunt, vt obedientia, & humilitate sint probatiores.

Cauea-

Caueatur quàm diligentiſſimè, ne ſoli vnquam relinquantur, iugiter illis vel Magiſter, vel Socius aſſiſtet.

Inter probationis tempus nulli venia concedatur, vt ad epulum vel affinium, vel parentum ſe conferat.

Veſtitus erit vulgaris, qui paupertatem præſeferat. Atq; illud etiam Nouitiorum Magiſter induſtriosè præſtabit, vt abnegandæ voluntatis propriæ occaſiones crebrò ſuppeditet, quò facilè flectant mentem ad obſequendum Superioris voluntati.

Iam verò quemadmodum in admittendis ad probationem adoleſcentibus cautè, & prudenter agendum eſt, ita ſi qui minus ad onus ferendum Religionis idonei videbuntur, nullumque ſpecimen præſeferant, aut conſtantiæ, aut bonę indolis, rectè illorum animis exploratis, reijciendi facilè erunt de conſenſu Præpoſiti Generalis, qua in re nulla erit habenda ratio humanæ perſonæ, ſed ſolus Dei honor, & Congregationis vtilitas perpendenda.

Corporalibus exercitijs interdum ad relaxandum animũ, ad fouendam corporis ſanitatem vacabunt; eaque ad remittendas curas ſolatia cencedat Magiſter Nouitijs, quæ non ita iocularia ſint, vt leges honeſtatis, aut regularis diſciplinę prętergrediantur, ſed & quæ remittendo animum, eumdem ſalubriter iuuẽt & experimentum faciant qualis quiſque ſit indolis, ac ingenij, in quibus facile erit Magiſtro intimius explorare naturæ propẽſionem, & corporis complexionem, quam vt enitatur quibuſcumque artibus perſcrutari, admonitum volumus.

Eos cum opus erit, quà lenibus, quà ſeueris obiurgationibus corripiet, vt in officio vnumquemque ſuo contineat cum offenderint, pro delicti grauitate puniat, in Refectorio tamen, vel publicè dum Nouitius ſe accuſabit, Superioris ſit pœnam delicti inferre.

In correctionibus, & in emendandis Nouitiorum erratis

pate-

paternam grauitatem, compassionē, atq; dulcedinē, sed viuidam, efficacemq. demonstret. Asperum se, iratum, aut perturbatum numquam ostendat, ne diffidentia illorum pectus inuadat, ac proinde vel conscientiam ipsi non reddant; vel non integrè & sincerè; quæ res & progressiones impedit in virtute, & ingentia damna parit in subdito diffidente.

In singulis Prouincijs vel plura erunt destinanda probationis loca, (vel saltem vnus) à professorum conclauibus; seu domibus omnino seiuncta, solitaria, quę hospitum commeantium frequentia non perturbentur, in quibus solùm religiosum tyrocinium probè, & nauiter instituatur & ea præsertim seligentur, quæ salubritate cæli, aerisq. temperie, & amœnitate maxime commendentur. Laicis tamen quodlibet Collegium pro domo probationis concedatur.

Singulis etiam Nouitijs singulæ ad dormiendum cellulæ assignentur. Prę̨ter Ecclesiam in quam ad recitandas diurnas, & nocturnas preces statis horis Nouitij conuenient, Oratorium sit intra illorum claustrum ad reliqua spiritualia exercitia peragenda, & si fieri commodè poterit, etiam hortus ad honestam recreationem à secularium prospectu remotus.

Illud præterea cauendum volumus, ne cuiquam Nouitio, quo tempore tyrocinium Religionis ponit, Domo probationis egrediendi, apud seculares pernoctandi, seu conuiuendi facultas concedatur, nisi graue id expostulet infirmitatis periculum; neque de loco in alium dimoueatur, nisi Præpositus Generalis graui oborta occasione secus decreuerit.

De

De Nouitijs ad professionem admittendis.

CAP. VIII.

VBi primùm annum probationis integrum expleuerint Nouitij; Rectoris, seu Prępositi partes erunt illos accersere, propositi sui commonere, ac planè interrogare, an in cœpto vitæ instituto persistere velint: & nostrā religiosæ vitæ rationem constanter sequi. Quòd si eorumdem animo firmè inhæserit nobiscum Christo militare, & supplices id publicè postulauerint, Patri Generali significabitur, de cuius licentia Capitulo Collegiali proponet, & singulorum vocalium secretis suffragijs vno saltem supra medietatem suffragantium numero excedente, aut admittentur, aut reijcientur; quod cum præstiterit, eumdem Præpositum Generalem admonebit, qui Superiorem loci illius, vel quempiam alium pro admissis specialiter delegabit, vt Vicarij munere perfungens, Nouitios ad professionem recipiat.

Antequam solemnia nuncupet Deo vota Nouitius, coram Superiore, & Notario constitutus iurare teneatur, se nullum corporis vitium, aut prauam valetudinem, natiuumque morbum celasse, aut celare, ex quo ad Constitutiones nostræ Congregationis seruandas impotens reddi, vel notabiliter impediri, seu ad id disponi possit; nec non alterius Religionis habitum sub obedientia etiam sine probatione numquam se induisse. Quòd si dolosè in alterutro peierauerit, erit quidem quoad se nuncupatis votis seruandis, & ad seruiendum Congregationi secundum eius regulas & Constitutiones obstrictus; quod autem ad nos spe-

ctat, in hoc casu apertè protestamur, consensum minimè præstare, sed periurio detecto, Pater Generalis vnà cum Assistentibus liberè possit, vel ipsum habitu exutum à Congregatione eijcere, liberum eumdem à votorum emissione declarando, vel re accuratè perspecta, ac diligenter examinata, si aliàs expedire videbitur, consensum adhibendo, in professorum numero illum referre; quo casu in pœnam is in sedendi loco, & professionis tempore perindè se geret, ac si tunc solemnia vota emisisset. De quibus omnibus, & singulis Nouitius in ipso actu emittendæ professionis dilucidè, etiam vernacula lingua, si opus fuerit, à Superiore moneatur; & ipse Nouitius vnico contextu ea bene intellexisse, acceptare, & expresè ad illa se obligare asserat, conceptis, vt supra, verbis iurando. Quæ omnia Notarius distinctè in acta referat. Hæc autem eiectio, aut noua receptio intra quatuor menses à die detecti impedimenti omnino executioni demandetur.

Præterea quicumque Nouitius scripto contestetur, & palàm confirmet se nostræ Congregationis varia instituta, viuendi rationem, obseruantias, & Constitutiones didicisse, sed illam præcipuè, qua Clerici ad horas diuinas recitandas statim post professionem præcepto obedientiæ, & pœna peccati lethalis obligantur, & aliam, quá post susceptum Subdiaconatus ordinem, vel si Sacerdotio, aut ordine sacro iam ante votorum nuncupationem fuerint insigniti, triennium integrum ab emissa professione vtroque suffragio actiuo scilicet, & passiuo priuantur: totum integrum probationis annum expleuisse, non interruptum, sub Nouitiorum Magistro à Patribus sibi constituto: se spontè, liberè, non vllo adactum metu, nec aliqua vi coactum, necessitate nulla compulsum, solemnibus votis obstringere: certò etiam nosse, ac scire in idonea, & apta ætate a Sacro Concilio Tridentino præscripta ad solemnia Religionis emit-

tenda vota se esse constitutum.

Formula verò nuncupandorum votorum ex præscripto Ritualis nostri Clericis Latina sit; Laicis, vernaculo sermone, quòd erit veluti symbolum, & tessera, qua duo status illi Clericalis, & Laicalis internoscantur.

Norint autem Laici nostri sibi prorsus esse interdictam ad Clericalem habitum, ad primam tonsuram, & ordines promotionem; quam Constitutionem ne violent Capitulum Generale in virtute Spiritus sancti, sanctæque obedientiæ obnunciat, ac mandat: cui præcepto, & Constitutioni si quis Laicorum quouis pretextu minimè obtemperauerit, poenæ excommunicationis latæ sententiæ reus subiaceat, & in carcerem detrudatur vsque ad proximum Definitorium, in quo seuero iudicio causæ illius disquisitio ineatur; & plectatur, ad pristinumque statum remeet, interclusum ad altiorem ordinem aditum, spemque omnem ademptam sciat. Proinde Laici ante votorum nuncupationem sibi probè compertam esse hanc Constitutionem contestentur.

Non prius verò Laici suæ probationis annum inibunt, quàm duorum, vel trium, aut etiam pluriuм annorum spatio Præpositi Generalis arbitrio, eorum indolem, ingenium perspicuis argumentis in Religione Patres experiantur; neq; ad professionem admittantur, nisi vigesimum primum ætatis annum compleuerint.

Singula Collegia, & Domus nostræ librum habeant, in quo manu propria, qui solemnia vota nuncuparit, formulam votorum nuncupatorum exscriber, subscriptis testibus iuxta Ritualis nostri præscriptum obsignatam, qui liber in Archiuio fideliter custodiatur.

Nuncupatis votis Clerici quinquennij spatio, ad arbitrium Præpositi Generalis, in vno ex præscribendis ab eodẽ Collegio commorabuntur, quibus Sacerdos aliquis mo-

rum integritate, doctrinaque excellens præficiatur, qui nuper professos secundi professorij loco, bonis imbuat moribus, in pietate confirmet, spiritualibus exercitationibus detineat, vt interim disciplinis, bonisque artibus pariter, ac pietate excolantur. Nauiter verò, & impigrè Sacerdos præfectus eorum spiritualibus commodis inuigilabit; prospicietque singula diligenter, quæ ad optimam adolescentum informationem, eosque ad seueram disciplinam promouendos spectant, dabitque cumprimis operam, vt leges quæ pro secundi nouitiatus, aut professorij Nouitijs peculiari libro sancitæ sunt, exactè obseruentur.

De Promouendis ad Ordines.

C A P. I X.

SI qua in re diligenter nobis prouidendum est, ne aliquis error committatur, ea potissimum esse debet, in qua de cultu diuino agitur, vt quàm maximè illi velimus esse consultum. Quamobrem nullus ex Nostris, qui clericali habitu Deo est mancipatus, minoribus, aut maioribus ordinibus initiandus promouebitur, nisi præscriptas à Concilio Tridentino conditiones omnes habeat.

Stata ab eodem Concilio tempora inter ordines seruentur, nisi alioquin grauis immineat necessitas. Non euagabitur quisquam, aut aliò se conferet, vt ordinibus initietur, sed in ea Diœcesi, vbi pro tempore degit à Patribus destinatus, iuxta Clementis Octaui præscriptum promouebitur.

Caueat Superior quilibet, ne ad Sacros ordines quempiam, ni prius à Præposito Generali, vel Prouinciali impetrarit facultatem, promouendum curet, quam vbi obtinuerit

rit, Capitulo Collegiali proponet Sacro ordine initiandum, nec nisi à maiori suffragantium parte admissus censeatur.

Promouendum verò ad ordines antequam Capitulo Collegiali proponat Rector, seu Prępositus Collegij, examinādum à duobus, aut tribus ex doctioribus Patribus curabit, & an sit idoneus, accuratè explorabit.

Superiores, si qui fortè ausi fuerint ex Laicis quempiam Clericalem ad habitum, vel ad primam tonsuram, seu ordines euehere, poenę priuationis vocis actiuæ, & passiuę, ac alijs grauioribus poenis arbitrio Præpositi Generalis, vel Definitorij subiaceant.

De ratione studendi, ad studia admittendis, & Præceptoribus.

CAP. X.

CVm ex duobus quasi fontibus pietatis, & eruditionis religiosi viri omnis felicitas petenda sit, Congregationis verò ornamentum quodcumque, laudabiles progressiones, hæc duo firmissima præsidia solùm respiciant, Præpositi cum primis Generalis partes erunt, & Visitatorum, studiorum rationibus omni solicitudine prospicere. In hoc igitut sedulò incumbent, vt nostros Adolescentes ad studia promoueant, eosq. disciplinis, & bonis artibus erudiendos curent, qui præstanti sunt ingenio, quique pręclaram spem iniecerint non leues esse in scientijs progressus facturos.

Id verò præcipuè spectabunt Patres, vt qui disciplinis addicuntur, non in animi elationem, & fastum priuatum, sed in obsequium Dei, Congregationisq; ornamentum, & vtilitatem doctrinam sint deriuaturi.

Certa

Certa quadam, vtili & accomodata methodo in disciplinis & scientijs profitendis vtentur Præceptores nostri; & Adolescentes, nisi prius optima in minoribus fundamenta iecerint, & integrum biennium Rhetoricæ studuerint, ad altiores, & seueriores disciplinas aditum sciant omnem ipsis esse occlusum; qua in re Præpositi Generalis, & Visitatorum conscientias oneramus.

Præpositus igitur Generalis, & Visitatores tempore visitationis de cuiuscumque in studijs profectu diligentissimè inquirent; examen instituent se coram, & adhibitis Præceptoribus periculum facient singulorum, segnes ac desides grauiter coarguent, & plectent, tardos verò, ac stolidos, qui minus idonei deprehenduntur, à studijs remouebunt, aliisque muneribus, & exercitijs dedicabunt.

Superiores singuli, apud quos Adolescentes nostri studijs operam nauabunt, nihil intermittent, quod ad excitandos illorum animos, ad studia capessenda, & acrioribus stimulis vrgendos opportunum videbunt, quà hortationibus impellendo, quà obiurgationibus, quà præmijs. Necessaria, vt promptiori, & alacriori animo studijs vacent, & incitatiori desiderio rapiantur, suppeditabunt. Exemptiones verò, quæ studentibus concedendæ erunt, Præpositus Generalis, vel Definitorium decernet.

Nemo impressa Theoremata publice disputanda proponat, nisi facultatem ineundi literarij certaminis à Præposito Generali impetrauerit; qua impetrata nulli ea nuncupabit. Vnico folio contenta, siue typis cudantur, siue exscribantur disputanda proponet, non alio præfixo stemmate, quàm quod nostra Congregatio præfert.

Præceptores illi ad informandos tam Nostros, quàm externos adolescentes deligentur, qui sint vitæ integritate spectabiles, moribus graues, & pij; doctrina verò, & ea quam professuri sunt disciplina, apprimè eruditi.

Hi

Hi verò ab his oneribus,& communibus munijs obeũdis erunt exempti, à quibus illos eximere ęquum,honestumq; Pręposítus Generalis; vel Definitorium; vel Generalium Comitiorum Patres esse iudicauerint. Mensa semper in loco communi vtentur; nec quidquam hac in re sibi Superioris localis auctoritas vindicabit. Vesperis,& Completorio, si statim post Vesperas recitetur, diebus festiuis in Choro; quotidie verò orationi mentali; vt cap. de Oratione mentali dictum est, intererunt; eamque inibunt docendi methodum, quam Patres,pro recta scho larum admi nistratione priuato libro præscribent.

Ex illis autem,& ex scholasticis accersere Pręposítus Generalis poterit quos volet ad Comitia, vt publicè conclusiones sustineant, vel conciones habeant.

Ceterum nostri liberalibus disciplinis, sacris præsertim literis, & Canonibus excolantur, atque vt Deo Optimo Maximo,& Sanctæ Ecclesiæ suam operam pręstare aliquando possint,Hebraica lingua,Chaldęa,Arabica,Græca,Illyrica erudiantur.

Prohibemus autem,ac prorsus cuicumque interdicimus, ne librum vllum cuiuscumque argumenti imprimendum curet, vel edat, antequam à Præposito Generali, aut à Prouinciali extra italiam facultatem obtinuerit, qui eos libros duobus ex nostris Patribus Theologis antequam imprimantur, legendos, & diligenter examinandos committent, horumque partes erunt,non solùm accuratè perpendere, an aliquis error irrepserit, sed etiam an digni sint, qui lucem aspiciant eruditorum, seruato tamen decreto super hoc edito à Sanctissimo D.N. Papa Vrbano VIII.sub die xviij. Septembris MDCXXV.

Quòd si non concessa facultate à Præposito Generali, vel Prouinciali typis cudendum aliquod opus cuiuscumque argumenti quis dederit, vel ediderit, vel edi procurauerit,is

statim

ſtatim à Præpoſito Generali,aut Prouinciali quocumq; deturbetur dignitatis gradu, omni ſuffragio tam actiuo,quàm paſſiuo priuetur, quouſq; Comitiorum Generalium Patres, ad quos ſolùm ſpectabit ab hac pœna liberare huiuſmodi priuatum,in priſtinam dignitatem reſtituere volent;interim vltimus inter profeſſos vbique erit.

Clericis, qui in noſtris Collegijs operam ſtudijs nauabunt, ſupra vnam vicem in hebdomada à matutinis horis vacandi in Choro recitandis, alteram etiam vicem huiuſmodi immunitatis conceſſam volumus, hac tamen conditione, vt prius ſe in Choro ante Præpoſitum Collegij, vel Superiorem ſiſtant,& petita benedictione,antequam matutinæ horæ recitari incipiant,in cellam ad vacandum ſtudijs ſe recipiant.

Et ſi quis ex noſtris Adoleſcentibus, quibus ſummum otium literarum conceditur, vt diſciplinis incumbant, ſegniùs ſtudia tractauerit, vel laboris impatiens, vel contumacior, aut petulantior, illi obedientiæ detrectet ſe ſubmittere,cui ſecundi nouitiatus ſeu profeſſorij Clericos volumus eſſe ſubiectos, proinde parum & in ſpiritu, & in literis, & in peritia linguarum profecerit,is poſtquam ſemel,& iterum,atque etiam tertiò correptus,& caſtigatus fuerit, à ſtudijs amoueatur, ac tanto beneficio priuetur. Hunc verò nolumus ad Sacros ordines, vel Sacerdotium ſine Definitorij conſenſu promoueri, & omnino mandamus,ne vllum in Congregatione noſtra dignitatis gradum obtineat, niſi ſecretis ſuffragijs Patres in Comitijs generalibus, vt proponi poſſit diſpenſauerint.

Secus his qui nauiter,qui impigrè ſtudijs vacabunt,magnoſque progreſſus fecerint, tum in ſcientijs perdiscendis, tum in linguarũ eruditione, declarabũt Patres,quo loco virtutem,atq;virtute & probitate præſtãtes habeant;hos enim promouebunt ad dignitates,præmijs allicient,honoribus afficient

ficient

nuſtaq. prætermit-
nt virtutis promo-
ndæ incitamenta.
Poſt-

Poſtquam noſtri Scholaſtici philoſophicum curſum, ſtudiumq. abſoluerint, antequàm Theologicum aggrediantur, vt ijs ſatisfaciamus oneribus, quibus noſtra Religio premitur, alijs politiori literatura informandis præficiendi erunt, triennium integrum in inferioribus ſcholis ad docendum detinendi, iterumq. ſi eo in munere ſtrenuè ſegeſſerint, maioribus ſtudijs addicendi.

De Habitu Clericorum, & Laicorum

CAP. XI.

NOn minori cura inuigilandum eſt, vt noſtrę Congregationis patres & fratres ea vtantur veſtium compoſitione, quæ religioſos viros deceat; vt ſcilicet nec nimis elegans, & ſplendidus ſit veſtiū ornatus, neq; ſordidus, & nimis abiectus vllus noſtrū incedat. Erunt itaq. omniū externæ veſtes nigri ſemper coloris laneæ, ſimplices.

Clericorum tunica protenſior talos feriet, anteriori parte tota vſque ad cingulum ſit conſuta; collare duobus ſaltem vncinulis ita adſtringatur, ne aut collum, aut guttur appareat. Manicæ nullis aut vncinulis, aut globulis conſtringantur, ſed laxiuſculè totæ ſint conſutæ. Pallium eiuſdem fere longitudinis, ita tamen vt tribus, vel quatuor digitis decreſcens ſuperemineat tunicæ. Palliorum collaria haud ſupra tres digitos altiora promineant. Zonæ nullo modo ſint ſericę, ſemel tantum circumducantur, & in anteriori parte nectantur. Pilea, quæ nec oblongæ, nec acuminatę ſint formę, ſed ad religioſi viri honeſtum decorem accomodata, alas non habeant totas limbo ſubſutas, ſed tantum ad dimidietatem producto, qui in interiori pilei parte ad tres digitos vix aſcendat, numqnam tamen excedat: nullis eadem funiculis ſericis cum lemniſcis adornentur, ſed

ſimplici vitta ex filo, quæ globulo depreſſiore connectatur. Galericuli non ſint ſerici. Induſia omni careant & ad collum & ad manus ornamento, illorumque collaria ad collum ſupra veſtem duos tantum digitos vertantur, ex tela ſimplici linea, nec amylo leuigata ſint, aut alias expolita. Nullus ad manum ſupra thoracem induſij manicam, multò minus adſcitam maniculam obuoluat. Lacernæ domeſticæ ſolum hiberno tempore deferantur, quæ manicas gerant integrè conſutas, & religioſæ paupertati, quæ omnem horret vanitatem, prorſus conformes: harum collaria veſti æquentur, & inuertantur: leuiores æſtate nemo deferat. Interiora verò indumenta ſub veſte ſiue hiberna, ſiue æſtiua, nigri ſint coloris, aut certè ſubobſcuri, qui parum à nigro recedat, ita vt nullus luxus, aut mollities, aut exquiſita elegantia in illis appareat: quòd ſi thoracem pellitum aliquis geſtet, ante pectus & ad manus nigri coloris limbo ſubſuto ad quatuor digitos eumdem cooperiat. Coriacea colobia omnino interdicuntur. Fibulatas zonas, aut cingula nemo ſub veſte geſtet. Femoralium forma & figura ſit honeſta, ſimplex, religioſo viro conueniens. Tibialia acu intexta cuiuſuis generis, aut coloris illa ſint, nullus gerat: pellita verò nigri ſolùm coloris permittantur. Calcei abſque auriculis geſtentur. A ſudariolis lemniſci amoueantur, neque acu per angulos depicta illa ſint. Pelliceæ veſtes exteriores prohibentur omnino, interiores verò valetudinarijs, aut ætate prouectioribus Præpoſitus Generalis, aut Viſitator, vt expedire perſpexerit, concedet, hac adiecta conditione, vt & pauci emantur, & ad genua tantũ protendantur. Manicæ pelliceæ, quæ ad frigus arcendum è manibus deſeruiunt, laneo operimento extrinſecus conueſtiantur.

Laicis paupertatis colendæ & ceterarum virtutum, humilitatis præſertim, pietatiſq. acquirendæ religioſa ſollici-

tudine

tudine cum Sacerdotibus contendent; eorum veſtitus erit tunica ad ſuras ſolùm deducta, quæ cruris medietatem feriat,& pallium, quod longitudine tunicam non excedat.

Galero, vel laneo galericulo vtentur pro domeſtico capitis cooperimento.

Veſtes nouas,& quæ communi nomine zimarræ nuncupantur, hibernoque tempore intra clauſtra deferuntur, ijs tantum concedi volumus, qui perfuncti laboribus, vel alia ratione de Congregatione ſunt benemeriti: alijs autem ſi Superiores permiſerint, vetuſtæ eſſe debebunt,& ſinguli manicas induent.

Nullus veſtes breuiores in itinere ad crura ſolùm productas geret, ſiue èx panno,ſiue ex lana,aut alia quauis materia.Pænulæ quibus in itinere ad pluuias arcendas Noſtri vtētur, nigri ſint vel ſubobſcuri coloris, nullis redimiculis, vittiſq. vlla ex parte ornatæ, ſed ſimplices.

Ea demum ſit veſtitus tam interioris,quàm exterioris cōpoſitio,vt nihil holoſericum,vel ſubſericum, nihil vanitatis, aut pretioſitatis, nihil nimis exculti,& elegātioris ornatus; vel minima qualibet in re appareat, nihil quod à religioſa ſimplicitate & paupertate declinet, vel ſecularium oculos, quos maximè in religioſos viros intentos tenent, etiam leuiter offendat.

Caueant prorſus Noſtri, ne Chorum ingrediantur, aut in clauſtris, alioue loco ſecularibus videndos ſe exhibeant niſi decenter amicti, & induti habitu præſcripto.

Capillorum & barbę eiuſmodi rationem Noſtri habebūt, vt religioſum decorem, non aliquam animi leuitatem, aut vanitatem præſeferant:quamobrem pilos æqualiter attōſos gerent,barbā non è malis,nec totam abradent,neq. ad mentum breui collectam, ſed decenter angulis conformatam, æqualē,nec vltra tres digitos à mento promiſſam geſtabunt.

De Fabricis erigendis.

CAP. XII.

MAgni momenti nouæ ædificiorum erectiones existimandæ sunt, neque sine diligenti, accurataq; consultatione à Nostris vel inchoandæ erunt, vel prosequendæ. Cumprimis igitur cauebunt, ne vllum prius opus moliantur, quàm à Præposito Generali facultatem obtinuerint Præpositi, vel Rectores, quam vbi impetrarint, maturo etiam consilio, & prudentia opus erit; ideam ædificij graphicè delineatam à perito architecto depromi curabunt primùm, eamdem postea peritissimis duobus, vel tribus alijs architectis examinandam proponēt, plures consulent, nec absque seniorum Patrum consultatione & consensu quidquam tentabunt, ne postea cogatur alter ædificium demoliri.

Si quid reparandum, instaurandumque erit, quod ruinam minetur, vel vitium faciat, vel in elegantiorem formam paruo impendio commutandum videatur, id si vigintiquinque aureorum impensam excesserit, auctoritate solùm Præpositi Generalis concedendum erit, vel Prouincialis in Gallia.

In ædificijs verò erigendis illud spectare debebunt Patres, ne vel amplitudine, vel magnificentia, operisuè structura paupertatis, & modestiæ obliuiscantur, ne vllus sit in secularium domos prospectus, & si qui iam sunt, omnino obstruantur. Incurrat in oculos introeuntium nostra Collegia & Domos ante, & intrò ostium sacra Christi crucē deferētis effigies affabrè, & elegātet depicta, vel sculptura perpolitè celata. Nostris in Domibus clausura omninò seruetur.

De

De Aegrotantium cura

CAP. XIII.

SI vmquam Superiores nostri paternum erga subditos affectum declarare debent, & charitatis æstuantem pectore ardorem, tunc præsertim declarabunt, cum aliqui in morbum inciderint. Magna itaq;cura, & prospicientia curabunt, ne quidquam illis desit, omnibusque remedijs sit cuique ægrotanti probè consultum.

Pręficient ægrotorum famulitio Sacerdotem vnum, & Laicum, qui charitate præ ceteris exæstuent,& pia,accurata, & verè fraterna solicitudine illorum sanitati procurandæ sedulam operam nauent. Medicorum isti præscriptum diligenter seruabunt, ne leuiter quidem ab illo recedent,& si quid ob inopiam Domus nostræ, aut Collegia suppeditare minimè poterunt, ab amicis emendicare opportuni, importunique Nostri non vereantur.

Si contigerit plures eodem in loco oppressos morbo decumbere, plures constituantur infirmarij, sique necessitas vrgebit, seculares abhibeantur.

In vnaquaque Domo valetudinarium construatur commodum, salubriori loco à strepitu, & domesticorum frequentia, quàm fieri poterit remotum, in quo ægrotantes, vsque dum conualescant, curentur.

Cum periculosè aliquis ægrotauerit, solus numquam esse permittatur, & mutatis vicibus patres, & fratres qui valebunt,ad præscriptum Superioris iugiter illi assistent, minimèque negligent aliquid incommodi, & molestiæ pati, vt probè fratris ægrotantis saluti tam corporis, quàm anime prospiciatur.

Animæ

Animæ verò ad salutem quod attinet, Præpositi, & Rectores neminem ex sua familia ægrotantem à medico sinent inuisi, qui secundam saltem post visitationis vicem sacramentali confessione peccata non expiarit. Inuigilabunt, vt sacrę Eucharistiæ Sacramento, Extremaque vnctione iuxta medici consilium, suamque pietatem se æger opportunè corroboret. Præterea moribundis plenissimæ absolutionis beneficium ex concesso nobis priuilegio Superior impertiet, cuius absolutionis impertiendę rationem in nostro Rituali impressam commodè legere quisque poterit.

Scripto infirmarij, vel infirmis assistentes consignabunt singula, quæ facienda præcipient medici, vt horam propinandi pharmaci, syrupi, cœnæ, prandij, & huiusmodi.

Singula etiam obseruabunt, quæ ad morbum spectant, vt prognosticos dies medicus probè, & symptomata ægrotantis internoscat: quapropter notabunt diem ægrotationis, horas decrementi, incrementique morbi diligentissimè, ne grauis aliquis error infirmarij incuria à medico committatur magno ægrotantis incommodo, salutisque periculo.

Conualescentes nisi bene confirmatis viribus, & medico iubent, lecto surgere non ausint, ijsdem Superior ex medici præscripto ad valetudinem confirmandam adiumenta omnia suppeditabit.

De

De Egredientibus domo, atque honesta animi remissione.

CAP. XIV.

INstar piscis extra aquas Religiosus est extra claustra, quocirca maxima cura adhibenda est, ne labatur in interitum. Vt ergo religiosum virum suo remotum è conclaui diuina Dominus protectione custodiat, nullum ex Nostris egredi volumus, qui flexo ad terram genu benedictionem humiliter à Superiore non petierit, & obtinuerit, quam similiter petere non omittet, statim ac domum fuerit regressus. Nullum ex Clericis, vel Sacerdotibus domo exire iubemus sine comite, quem suo pro arbitrio Superior assignabit, & eumdem recusare, aut permutare quouis prætextu fas erit nemini.

Quilibet se domum vesperi ante signum salutationis Angelicæ recipiat. Cœnandi licentia nocturno tempore extra claustra nemini vmquam concedatur.

Caueant Nostri, ne egressi aliò diuertant, quàm ad eum locum, ad quem eundi facultatem obtinuerint; nisi alioquin post egressum vrgens aliqua occasio se se illis obtulerit, quā deinde vbi domum fuerint regressi, sincerè manifestabunt Superiori.

Prudenter tamen aget Superior, si quem ad locum egressi se contulerint, quæ negotia tractauerint, cuius in congressum & colloquium ierint, & his similia, diligenter sed quàm poterit occultè inquiret, idque ipsi faciendum esse præsenti Constitutione statutum sit.

Accessus ad quascumque mulierum domos sine expressa licentia Superioris prorsus Nostris interdicitur: peruidebit

verò

verò Superior, ne ſit in ea concedenda indulgentior, nec eã concedet, niſi perſonarum & occaſionis maturo conſilio ac curatè perpenderit rationem, & qui mulierem eſt alloquuturus, coram comite ſemper alloquatur.

Incumbant Superiores, ne nimis frequenter & paſſim vel exeundi alijs facultatem faciant, vel ſibi aſſumant, nec Collegium vnquam ſine competenti numero relinquatur ad ipſorum iudicium, & in ſubditorum egreſſu explorabunt, quo quiſque ſe conferat, ne caſus aliquando ferat plures in eodem loco apud eoſdem reperiri.

Qui domo egrediuntur, per ianuam Collegij, non Eccleſiæ tranſeant, ſuique egreſſus ianitorem admoneant identidem, & regreſſus, vt is compertum habeat, qui domi ſint, qui extra profecti.

Scandala quæcumque vt à Noſtris euitentur, numquã ijs in locis conſiſtent, neque ad ea cominus accedent, vbi ſpectacula publica habentur: hominum conuentus, qui ad circulatores, & ad hiſtriones fieri ſolent, cautiſſimè declinabunt,

Tam Sacerdotes, quàm Clerici regulariter extra domum & biretum quadratum, & pileum deferent, illud capite, hoc manu; niſi ſol, ventus, frigus, pluuia vrgeant, vt caput operiendum ſit pileo, & biretrum manu geſtandum

Pallium vtroque humero ſuſtentetur, & à parte anteriori decenter, ac religiosè compoſitum; eius collare non obuoluatur, ſed erectum circa collum deferatur ab omnibus; ſi timeatur, ne pallium decidat, duplici vitta ex filo hinc inde à collari ad tergũ depẽdent, nõ ſerico funiculo & globulo ad collũ reuinciatur. Motus corporis, vt Capite de modeſtia dictum eſt, neq; mollis ſit, neq; concitatus: oculis ad terram deiectis Noſtri incedant, nec manus agitent incedendo, neque curiosè quidquam, quod obuiam habuerint, intueantur.

Quod

Quod ad recreandum animum ſpectat, cum nihil ſit durabile, quod alterna requie careat, licebit Superioribus ſemel in hebdomada domi vel extra honeſtam relaxationem aliquam ſubditis concedere iuxta cuiuſque indigentiam, ſed iuniorum recreationibus, maximè cum extra ciuitatem conceduntur, vitæ ſpiritualis Magiſter, vel Magiſtri Socius, aut ex ſenioribus quiſpiam præſens ſemper aderit; qui vigili cuſtodia commiſſum gregem moderando tuebitur, ne diſrupto diſciplinæ fræno ad ſeculi mores, imo & ad vitia, quod iuuentuti facillimum eſt, præceps ruat.

Singulis diebus à prandio & à cœna per horam vel paulò ſecus mutuis ſe colloquijs Noſtri recreabunt, quæ tamen ſint honeſta, ſeria, & à religioſo viro minimè aliena. Illud præcipuè cauebunt diligentiſſimè, ne Regum, vel Principum factiones inter colloquendum tueantur, ex quo diſſidia, æmulationes, & contentiones, imo & odia oboriri frequentiſſimè ſolent, ſed vnius corporis membra eſſe ſinguli cogitent, vinculo charitatis arctiùs inuicem copulati, quàm alio quocumque ſanguinis ac patriæ.

Ludi, quibus vel nimium temporis inſumitur, vel ſcandalum aliquod creatur, vel ſanitas læditur, omnino interdicuntur.

In villis ſecularium pernoctandi non detur paſſim facultas, adoleſcentioribus præſertim tam Clericis, quàm Sacerdotibus, quibus aſſignabitur comes ætate grauis, & moribus honeſtus, ſed & ſibi licentiam hanc raro Superior aſſumet.

At vero vt feriarum autumnalium tempore concedimus tam profeſſoribus literarum, quàm ſtudentibus aliquam requiem, & recreandi animi laxationem, non tamen eamdem omnibus. Philoſophi & Theologi à die Natiuitatis Deiparæ ſtudia intermittent, reliqui ipſa die Sancti Franciſci. Quod

in alijs quoque studiorum ferijs faciendum præscribimus, vt breuiores semper assignentur Grammaticis, Humanistis, Rhetoricis, quàm Philosophis, aut Theologis.

Nemini eo tempore recreationis prætextu per nostra domicilia licentiosè vagari permittatur: & si quis aliò se conferendi facultatem à Præposito Generali, vel à Visitatore obtinuerit, is ad eum dumtaxat loqum pergat, ad quem eundi licentiam impetrarit.

De Viatoribus, & Hospitibus.

C A P. XV.

NVllus domicilio sibi ab obedientia designato discedere vmquam attentet, prætextu etiam Præpositum Generalem, vel Visitatorem conueniendi absque licentia ab ijsdem scriptis obtenta: minus liceat Superiori cuicumque ex suis subditis quempiam ad Præpositum Generalem, vel Visitatorem mittere, nisi prius de re, ob quā mittere decreuerint, certiores illos fecerint, & mittendi facultatem impetrarint, grauissima excepta causa, quæ morā non patiatur.

Statim atque ad aliquam ex nostris domibus hospes accesserit, Ecclesiam, vel Oratorium ingredietur, actisq. Deo religioso more gratijs, inde rectà Superiorem, aut eo absente Vicesuperiorem adibit, eidem manum reuerenter exosculabitur, literas si quas secum deferet, cuicumque illæ dirigantur, fideliter consignabit, causam sui aduentus exponet, nisi à Præposito Generali, vel à Visitatore mitteretur, & patentes suæ obedientiæ literas exhibebit, sine quibus districtè Superioribus inhibemus, ne quempiam ex Nostris admittant, vel retineant.

Quo-

Quotiescumq; iter à Nostris ineundum erit, Itinerarium deuotè pronuntiabunt, & si commodè poterunt, sacrum, vel facient, vel audient.

Caueant hospites aduentantes ne liberius, quàm par est aliorum dicta, & facta referentes nouis rumoribus domum impleant, ne rogantibus, quid alibi fiat, quid Superiores moliantur, quid suspicentur, quid in alijs familijs nouitatis euenerit, enarrent, ne vè curiosius ipsi de aliorum actionibus inquirant, aut sermonem instituant. Cum enim oblocutiones huiusmodi omnem soluant mutuæ charitatis nexum, religiosæ domus tranquillitatem perturbent, detractionibus, suspicionibus, diffidentię aditum aperiant, reuerentiam, & obseruantiam in Superiores vel imminuant, vel prorsus adimant, omnino volumus, vt alienorum exploratores & delatores huiusmodi, si qui reperti fuerint, seuerè puniantur, & si ita expedire Superiori videbitur, ab aliorum consuetudine seiungantur, eorumque nomina ad Definitorium, & ad Capitulum Generale deferantur, ne vllis vnquam in Congregatione dignitatibus præfulgeant, nisi spiritum religionis rursus induisse benè cognoscantur, quę se exuisse sua ipsorum colloquia, & agendi ratio apertè testabantur.

Contra verò de aliorum virtutibus, de ijs quæ Congregationis bonum nomen, & existimationem augere possunt, de Superiorum charitate & prudentia vt audientibus alijs hospites nostri disserant, & mutuos misceant sermones, laudamus, & in domino hortamur.

Necessaria quæcumque iter suscipientibus, & aliò commigrantibus, viaticum videlicet, & supellex viatoria ad normam paupertatis, & charitatis suppeditentur ab eo Superiore, à cuius domicilio recedunt, vt omnis proprietatis occasio submoueatur.

Puluinaria ad equitandum Sacerdotibus solùm conce-

duntur, prætereà memini, siue Clerico, siue Laico, ni forte valetudinarius, vel conualescens aliò commigret.

Conductitia lectica nemo sine Præpositi Generalis licentia iter suscipiat.

Arma in itinere nullus deferat præter cultros, qui palmi mensuram non excedant, quos statim deponet, cum suum ad domicilium peruenerit: nam intra claustra deferri omnino prohibemus.

Supellectilem si quam Nostri ferent in itinere, eam à Superiore impetrata licentia quisque asportabit, quæ & statui conueniat, & itineri non sit impedimento: omnia autem exscribentur, & scripto Superior manu propria subscribet, ac sigillo domestico obsignabit, seriemque suæ supellectilis statim Superiori, ad quem accesserit, sincerè ostendet.

Inter faciendum iter, qui professione, loco etiam præcedet, nisi officij ratio aliud postulet.

Iter vnius diei, vel paulo secus ineundi cuiuslibet loci Superior facultatem concedere possit, nonnisi tamen suadente rationabili causa: vlterius verò Præpositus Generalis, vel Visitatores, & tunc idem Superior subdito literas patentes concedat.

Superiores à sua residentia vltra quinque dies sine Præpositi Generalis, vel Visitatoris licentia minimè aberunt.

Si quis conciones, aut cathedras professus, vel literarum studio deditus, scripta, seu libros asportare necesse habuerit, id Præpositi Generalis, Visitatoris, aut Superioris loci licentia scriptis obtenta præstabit.

Laici ad designata domicilia decem annos post votorum nuncupationem pedites, vel nauigio commigrabunt, & iter quodcumque suscipient: si tamen Præposito Generali, vel Visitatoribus ob aliquam grauem occasionem ætatis, vale-

valetudinis, aut alia de causa visum fuerit indulgēdum esse, eorum prudentiæ integrum relinquimus hac in re dispensare.

Hospites aduenientes, dummodò literas dimissorias habeant, omni humanitate, & charitatis affectu excipiantur.

Superiores omnes locum peculiarem hospitibus admittendis præparatum habere, & prout vires nostræ Congregationis ferent, necessaria cuilibet subministrare curabunt, ita vt nihil ijs desit, & non minus contractior parsimonia quàm effusior liberalitas, deliciç, secularis apparatus à nostris hospitijs omnino exulent.

Vnum ex Laicis virum spectatæ charitatis, probitatis, & modestiæ hospitum addicent obsequio, qui pedes ijsdem abluat, & omnia hospitalitatis officia hilari vultu, & animo prosequatur.

Comitem, cum egrediendi è claustris licentiam illi petierint, semper Superiores assignabunt, nec permittent, vt vel ab ipsis pro arbitrio assumatur, vel exeant incomitati.

Subdantur Superiori hospites ipsi prorsus in omnibus; exemplum taciturnitatis, modestiæ, obseruationis nostrarum Constitutionum ceteris prębeant.

Vbi fuerint nostrę Congregationis domicilia, ad ea, & non aliò recto itinere se conferent, nec Superiores quibus illi se præsentauerint, pernoctandi licentiam extra nostras domos vllo modo concedere possint; sed neque hospites sibi arrogare sub pœna culpæ grauis in Constitutionibus statuta.

Aduentantes aliunde negotiorum gratia domò non exeant, nec aliquid emant, dono dent, aut mutuo accipiant, nisi de consensu Superioris ibidem residentis, qui vt eos corrigere possit, imo vt debeat, hac nostra Constitutione sancimus.

Caue-

Caucbunt hoſpites, ne oneroſos ſe illis domicilijs exhibeant, ad quæ diuertent, maximè ſi Orphanotrophia ſint, ne ve ibi moram diuturniorem faciant, quàm literis dimiſſorijs ſit illis conceſſum. Tranſacto primo die choro & orationi præſertim intereſſe, atque Miſſas celebrare meminerint, niſi itineris longitudo, vel patens negotiorum neceſſitas illos excuſet.

De Epiſtolis ſcribendis, & earum inſcriptionibus.

CAP. XVI.

EPiſtolas nemo ſcribat, mittat vè, aut ad ſe miſſas recipiat ſine Superioris licentia, nec niſi ſigillo loci, in quo degit, obſignatas. Sigillum commune, cui impreſſa ſit effigies Patroni illius Eccleſiæ, ſuo in cubiculo Præpoſitus, vel Rector detineat; aliud peculiare permittat nemini, ſed ſi quem deprehenderit alio vti ſigillo quàm communi, vel ſine impreſſione ſigilli literas mittere, puniat grauiter.

Has quiſque auſpicabitur hac ratione. Si ad Præpoſitum Generalem epiſtola exaretur, ad primam conſalutationem addet Benedicite: claudet verò his verbis, Paternitatis veſtræ M. R. Seruus & filius in Chriſto obedientiſſimus. Si ad alios Patres, vel fratres conſcripta ſit, poſt conſalutationem ſit apprecatio, Benedictus Deus.

Superſcriptiones Epiſtolarum his & non alijs titulis adornentur. Ad Prępoſitum Generalem qui ſcribet, hac vtetur forma Multum Reuer. Patri noſtro in Chriſto colendiſſimo Patri Præpoſito Generali Congregationis Somaſchæ & Doctrinę Chriſtianę in Gallia. Præpoſitis, vel Rectoribus,

aut

aut Capituli generalis Vocalibus, Reu. in Christo Patri obſeruandiſſ. Ceteris Sacerdotibus, Reu. Patri Don. Clericis ſacris ordinibus initiatis Reuer. Don tantum aſſignabunt, Clericos in ſacris minimè conſtitutos, aut Laicos, Chariſſimos, vel Honorandos in Chriſto fratres compellabunt; omnes verò ſubſcribent nomen, & cognomen, & Congregationis titulum, & tm Sacerdotes, quàm Clerici ſacris initiati præponent Don.

Nemini liceat ludicras literas, & ſcurriles conſcribere, & niſi vrgeat aliqua neceſſaria occaſio, à literis exarandis quiſque ſe temperet.

In ijs nihil quod ad alias familias pertinet, qui ſcribent curioſius perueſtigabunt, quid vè alibi agatur explorabunt, aut nuntios vltrò, citroque mittent.

Et cum ad primarios viros Superiores literas exarabunt, eam quam par eſt erga illos adhibere reuerentiam, omnibuſque modeſtiæ & vrbanitatis officijs colere meminerint.

Caueant omnes, ne in ſcribendo quid incautè, vel quod nulla ratione tolerandum eſt, veteratoriè & callidè ſcribant, quò Congregationi, vel alicui in aliquo detrahatur, aut quiſquam irrideatur, aut iurgijs oneretur.

Quicumq; licet Superior localis literas Multum Reuer. Patri noſtro Generali, Vicario, Procuratori Generalibus, ac Viſitatoribus illius Prouinciæ ſcriptas, miſſas vè, vel quæ ab illis mitterentur, per ſe, aut per alios retinere, intercipere, reſerare, conſcindere, aut legere auſus fuerit, excommunicationis latæ ſententiæ pœna Præpoſito Generali reſeruatæ nouerit ipſo facto ſe eſſe innodatum, & carcere ad ſex menſes puniendum. Qui Conſiliariorum, Definitorum, aut Cancellarij, vel Superiorũ localiũ literas ſciẽter vt ſupra intercepterit, præter violationem præcepti in virtute ſanctæ obedientiæ pœnis arbitrarijs à Præpoſito Generali

mul-

mulctetur. Superioribus tamen, vt alibi dictum est, fas sit suorum subditorum literas aperire, ac perlegere, ni Præposito Generali, Vicario, Procuratori Generalibus, Visitatori suæ Prouinciæ mittendæ sint.

Quæ ad quemcumque, Preposito Generali excepto scribentur epistolę, eæ non nisi dimidio folio exarentur, secus tamen si negotiorum necessitas cogeret scribere longiores.

Quo tempore Definitorium celebrabitur, nemo etiam si sit Superior, audeat epistolas ad Patres Definitorij conscriptas reserare aut retinere.

Quæ à Principibus, Prælatis, vel viris illustribus dignitate, & auctoritate prędītis, vel ab vniuersitatibus mittuntur literæ ad Capitulum Generale, vel ad Definitorium, vel ad Pręposītum Generalem, aut ad quoscumque alios, si Collegiorum erectiones, vel aliquid quod ad nostræ Cōgregationis commendationem, aut alicuius ex Nostris insigniter laudem vertat, complectentur, diligenter & fideliter in Archiuio asseruentur.

De Otio vitando.

C A P. X V I I.

EX otio, ceu fonte cum omnia fere mala prosiliant, pręsertim obmurmurationes, ariditas in oratione, neglectus obedientię, & mortificationis, transgressio Constitutionum, nausea rerum spiritualium, auersiones à Superioribus, & ab instituto, ignauissimus tepor rebus in omnibus, priuatæ amicitię, quæsitæ occasiones frequenter egrediendi, curiositas in perquirendis, temereque reprehendendis Superiorum actionibus, facilitas in dam-

damnandis aliorum dictis, & factis, pericula castitatis violandæ, & huiusmodi, quæ disciplinam religiosam enervant, & omnem euellunt ex animis eorum, quibus insederint, pietatē, sequitur, hinc vt quisquis otiosus est, idē sit & vitiosus. Superioribus igitur acriter insistendum est, vt subditi bono aliquod opere faciendo iugiter occupati sint, numquam otiosi per claustra diuagentur, vel ad aliorum cubicula conueniant, aut alia ratione tēpus inutiliter terant. Quamobrem propria munia ita omnibus assignabunt, & tēpus illis obeundis ita distribuent, vt vnusquisque sciat, quid sibi singulis horis sit peragendum. Sacerdotes, qui studio, contemplationi, Sacramentorum administrationi, vel pueris erudiendis parum videbuntur idonei, tondere, vestes consuere, panem conficere, corporalia amylo prius imbuta extendere, eadem leuigare, complicare condiscent, & ministerijs huiusmodi erunt à Superiore applicandi. Poterunt etiam Sacrario, Bibliothecæ, infirmis curandis, hospitibus recipiendis præfici, vt Superiori videbitur; cuius conscientiam seriò oneramus, ne otiari suos vlla ratione dissimulet, & patiatur.

De Triclinio, & Mensa.

C A P. XVIII.

IN singulis nostræ Cōgregationis Collegijs & Domibus Triclinium, seu Refectorium exstruatur, quoad fieri potest à frequentia remotum; quod idem statuimus de popina, & promptuario.

In illo cumprimis sacra Christi Domini Cœna affabrè picta adumbretur, piæque hinc inde imagines appingantur, & Venerabilis Patris nostri effigies loco conspicuo appareat. Suggestum pro lectione & concionibus eminenti loco erigatur.

Duplicibus tantùm vicibus ſeu prandij, ſiue cœnę refectio ſibi inuicem ſuccedentibus menſa communi fiat, vt qui primæ intereſſe non poterunt (optamus autem vt niſi vrgeat neceſſitas, omnes eidem adſint frequentes) ſecundæ interſint.

Antequam primę accumbendum ſit menſę, duplici ſigno æris campani conuocentur omnes, qua abſoluta ſtatim vnico tantùm ſigno dato alij, qui primæ non interfuerunt, admoneantur.

Qui legitimè impediti primæ non interfuerint, Refectorium, poſtquàm legi cœptum erit, non ingredientur, ſed expectabunt ſecundam.

Ante refectionem vel prandij, vel cœnæ benedictio religioſo more, Romanoque ritu præponatur: voce mediocri, non feſtinanter, ſed moderata tarditate, vt de horis canonicis dictum eſt, deuotè recitetur. Poſt refectionem pariter dato à Superiore ſurgendi ſigno Lector dicat *Tu autem Domine. &c.* reliqui omnes reſpondeant. *Deo gratias*, tũ gratiæ agantur: quibus completis egrediantur omnes è Triclinio, minor è Clericis pręeat, reliqui ordine profeſſionis proſequantur cum ſilentio, detectoque capite, quod interim etiam Superior non opertum habebit. Superiore ingrediente Refectorium omnes aſſurgant, Præpoſito verò Generali, Vicario Generali, & Viſitatore detegant etiam adſurgentes caput.

Silentium inter refectionem religioſè ſeruetur, ſiue prima ſiue ſecunda menſa. Prima verò perpetua lectione condiatur, recreationis etiã die, cuius initio aliquid ex ſacra ſcriptura legatur, quam dum leget, capite detecto ſtabit erectus in pedes lector, tum deuotus piuſque liber ex Superioris voluntate vernaculo ſermone conſcriptus proponatur.

Lector clara, alta, intelligibilique voce ſingula verba diſtinctè pronunciet, nec curſim legat, ſed commodè

tum

tum ſibi , tūm alijs :

Secunda etiam menſa ipſa prorſus lectione non careat : ſed vernaculi tantùm ſermonis liber legatur.

Surgendi tam à prima , quàm à ſecunda ſignum expectetur à Superiore , vel ab eo qui vices Superioris aget ; ante illud niſi grauis neceſſitas immineat , nemini egredi liceat.

Quapropter Ianitor extra neceſſitatem Sacramentorum infirmis adminiſtrandorum, vel ob Principis alicuius perſonæ aduentum neminem accerſet è menſa.

Feria ſexta eleemoſynę per hebdomadam receptę , quas Ianitor in librum diligenter referet , à Lectore in Refectorio ante lectionem recitabuntur.

De Seminariorum, & Conuictorum regimine.

CAP. XIX.

Rectores Seminariorum Conuictorum, & locorum, vbi ſiuè publicè, ſiuè priuatim adoleſcentes in literarum ſtudijs erudiuntur, curam omnem adhibebunt , vt ij Doctrinæ Chriſtianæ rudimentis probè inſtruantur , vt quotidie omnes interſint Miſſæ ſacrificio & ſacramenta ſtatis temporibus ex eorum regulis frequētent ; vt ſingulis ſextis ferijs poſtrema ſcholarum matutinarum ſemihora noſtri Præceptores proprios diſcipulos pio aliquo ſermone ad eorum captum accommodato ad virtutis amorem , ad piæ ſanctequ e viuendum, ad modeſtiam , ad puritatem, honeſtatemque inflamment: vt officium Beatiſſimæ Virginis, & conſuetas preces deuotè quotidie recitent , orationi etiam mentali aſſueſcant ij, qui natu maiores & aptiores erunt. vt ſuas Regulas , quæ primo cuiuslibet menſis

die Dominico semper ad mensam legentur; exactè obseruent: vt eorum vestitus modestus sit, & quantum fieri poterit vniusmodi; optamus autem esse nigri coloris: vt vestem superiorem, quam penulam vocant, ad talos vsque productam & æstiuo & hiberno tempore domi assiduè gerant: vt in literarum studia & sedulò & seriò incumbant, moribusque optimis imbuantur: vt latinè etiam inter ludendū colloquantur: vt contentiones, mendacia, iurandi vsus, seu potius abusus, turpiloquia, immodestia, inurbanitas, aliorum contactus, immunditia tam corporis, quàm vestium ab omnibus euitentur: vt si quos nimis audaces, procliues ad vitia, peruicaces & omninò non ferendos cognouerint, numquam dissimulando tolerent, neque cum alijs simul viuere, aut versari patiantur: vt lampas in singulis dormitorijs nocturno tempore accensa resplendeat & suum cuilibet cubiculo præfectum deputent, quem tamquam virum perfectum adolescentes admirentur & imitentur; is verecundiam, quietem, silentium seruandum ab omnibus curabit: vt exempla probitatis, honestatis & religiosæ modestiæ à Nostris referant: vt numquam prodeant in publicum nisi bene compositi & cum decore simul & cum honore Præfectos, Magistros, Superiores, Maiores alloquantur,

Dormitoria sæpissimè visitent etiam nocturno tempore, cubicula priuatim alicui numquam concedant, neque cum Nostris in eodem cubiculo ex conuictoribus quemquam, licet consanguineum, aut etiam fratrem sinant pernoctare.

Si quem ex Nostris animaduerterint nimia familiaritate suspectum, paternè primò moneant, tum corripiant coram Vicerectore: & nisi correptus emendetur, aliò mittendū curent, & de eo Præpositus Generalis, vel Visitator ad Definitorium referat, vt illius saluti, & Congregationis existima-

tioni

tioni consulatur: sed interim impunitus non relinquatur. Si eò familiaritas processerit, vt cum Vicerectoris consilio ille sit omnino amouendus, præcidatur statim omnis suspectæ familiaritatis occasio, & prudentia qua fieri poterit maxima occurratur, ne quid mali succedat.

Domos alumnorum nostrorum adire Magistris, aut Præfectis, quamquam ab eorum parentibus, & consanguineis inuitati fuerint, prandendi, aut comedendi gratia, etiam vacationis tempore non facilè permittatur: & si iustis de causis huiusmodi licentia alicui concedetur, comes semper à Superiore eidem assignabitur, non ab ipso eligetur.

Munera à discipulis, seu conuictoribus licet minima, & ad deuotionem pertinentia si quis ex Præfectis, vel Magistris priuatim, & sine obedientia acceperit, grauiùs semper puniatur, quàm si ab alio recepisset.

Vt suæ satis conscientiæ Rectores faciant, scholas quotidie vel ipsi, vel per Vicerectorem frequentent, priuato discipulorum examini, disputationibus, quæ Sabbato fiunt, sæpè intersint; auscultent aliquando & legentes ex cathedra Magistros, & reddentes discipulos, quæ à Magistro audierint; videant dictata; inquirant si quid negligenter à preceptoribus, vel à discipulis agatur: Præfectum studiorum vnum ex Patribus probitate, prudentia, & eruditione insignem vbique constituant, qui & aduenientes primùm iuuenes examinet, scholas cuique deputet, & de Rectoris mandato de profectu singulorum experimentum sæpè faciat. Proderit aliquando publica laudatione diligentes prosequi, negligentes iniectô rubore, vel metu excitare, & propositis præmijs ad æmulationem scholasticam omnes prouocare. Huic rei applicabunt Rectores animum, & nihil omittent, quò adolescentes, qui nostris in locis educantur, optima institutione optimi euadant, & assiduis literarum exercitamentis optimè eruditi.

Cum

Cum verberandi adoleſcentes fuerint, quod & raro fiet, & ex graui cauſa, modeſtiæ, & honeſtatis ratio habeatur maxima.

Maxima etiam in Noſtris circumſpectione opus eſt, vt in continua ferè cum ſecularibus adoleſcentulis conſuetudine, religioſam vbique grauitatem, & religioſæ probitatis opinionem conſeruent.

Idcirco præſenti Conſtitutione diſtrictè prohibemus, ne Noſtri ludo qualicumque cum ſecularibus, quicumque illi ſint, vmquam colludant; ne intempeſtiuo tempore, & extra Triclinium cum ijſdem comedant, vel quidquam eſculenti, aut poculenti etiam in menſa, excepto Superiore, ipſis offerant; ne intima ſui pectoris, multò minus ſecreta Congregationis noſtræ, ſeu alicuius ex Noſtris defectus, vel pœnam illi impoſitam cuiquam externo ſignificent; ne liberiore vtantur colloquio & conſuetudine: & omnino ità Noſtri ſe ipſos moderentur, atque componant, vt omnis eorum actio, verba omnia ſint optima noſtrorum alumnorum inſtructio.

In emendandis adoleſcentium peccatis caueant Superiores, Magiſtri, Præfecti ne indignationem, aut indicium etiam leuiſſimum auerſionis ab eo, qui corrigendus eſt, præſeferant; neue inſurgant in conuicia, & contumelias, ſed dum vitia puniunt, erranti compatiantur, atque à manſuetudine, & clementia, quæ propriæ ſunt Religioſi hominis virtutes, numquam recedant.

Vbi publicæ fuerint deliquentibus iniungendæ pœnitentiæ, eę ſcripto notentur, ſubſcribantur à Superiore, & à Lectore initio menſæ clara voce prælegantur.

Lector cum noſtras ad menſas legendo errauerit, eum Superior, vel is, qui Superioris vices gerit, corrigat iubendo vt repetat: ſed lectio etiam in Academijs, Seminarijs, &

locis

locis Orphanorum ad finem vſque comeſtionis producatur, ita vt Lector ipſe audito aſſurgendi ſigno dicat. *Tu autem Domine miſerere nobis*.

Quod ad Sacramenta conuictoribus adminiſtranda, eorumque corpora ſepelienda ſpectat, percurrat Superior diligenter priuilegia noſtræ Congregationi conceſſa, & in Bullario impreſſa, quibus cùm ſe ſe obtulerit occaſio, prudenter vtatur.

De Cura, & regimine Orphanorum.

CAP. XX.

CVm noſtra Congregatio fundamenta olim iecerit in pia Orphanorum inſtitutione & cura; ratio etiã poſtulat, ne illam poſthabeant poſteri, ſed quanta poſſumus contentione & alacritate conandum eſt nobis, vt tam pium opus amplectamur, proſequamur, omnique ſolicitudine, ſummo pietatis affectu ad illud illuſtrandum, & augendum excitemur, vt Venerabilis Patris noſtri Hieronymi Aemiliani veſtigijs inſiſtentes intenſum pietatis illius ardorem noſtris pectoribus confoueamus, qui huiuſmodi cumprimis pijs actionibus militiam Chriſto noſtram erexit.

Rectores igitur, & Oeconomos (quos cõmuni vocabulo Commiſſos vocamus) ad Orphanos regendos Patres deſtinabunt charitate maximè flagrantes, ita vt cum priſcis noſtris Patribus, qui in hoc opere miſericordię ſedulò ſe ſe occuparunt, comparari poſſint, & auitam illam maiorum noſtrorum hac in re gloriam non ſolum conſeruent, ſed ſi

fieri

fieri possit; etiam augeant & illustrent.

Quilibet proinde Sacerdos Orphanorum curę destinatus, operam dabit, vt primas eorum instituendorum partes, Christiana educatio, pietas, optimorumque morum informatio occupet, curabit vt omnes singulis mensibus peccata sacramentali expient confessione, ętate maiores quintodecimo quoq; die, quos etiã semel in mense conuocabit ad suas culpas accusandas; vt omnes quotidie Missæ intersint, singuli coronas deprecatorias deferant cingulo complicatas, quas etiam quotidię recitent qui legere ignorauerint; ceteri verò Beatæ Marię Virginis officij recitatione prius suum pensum persoluant.

Bis inter diem legendi methodum, rationemque docebuntur, scribendi verò normam festiuis quibusq; diebus, & bis inter hebdomadam.

Qui decimum quartum annum attigerint, a Sacra Communione Altaris non abstineant, probèque instruantur de omnibus, quæ ad Christianam pietatem affatim animo hauriendam spectant; Doctrinam Christianam vesperi inter cęnandum lectionis loco memoria recitabunt, mane verò refectionem prandij lectione condient.

Mane & Vesperi per semihoram, vel circiter orationi mentali vacabunt.

Artem aliquam vt quisque condiscat, diligentissimè studebunt eorum Rectores, præsertim verò sutoriam & tibialium acu texendorum, & calceorum conficiendorum, quò inde habeant vitæ sustentandæ viam expeditam.

Verberibus nullus magna cũ sæuitia, vel immodicè mulctetur, sed paterna, quæ pium institutorem decet, beneuolentia, vt blandè quisque ad bonam frugem, & bonos mores imbibendos traducatur.

Quos

Quos ad colligendam ſtipem per Eccleſias cum arculis deſtinabunt, monebunt ne ioculare quidquam in ijs cõmittant, ne ſe alijs mendicantibus commiſceant, ne ludant, ne concurſent: qua ratione petenda ſit eleemoſyna & modeſtè extorquenda, edocebunt.

Aliquem deſtinabunt ex maioribus ætate, qui eorum in Eccleſijs actiones obſeruet, inceſſum in vijs, ſi quid deliquerint, pro delicti conditione mulctam irrogabunt, nec quidquam vel leue ab illis impunè commiſſum ſinent; ſtatas horas ad remeandum domum aſſignabunt.

Cum illorum Protectoribus, ſi qui erunt, enixè agent Rectores, vt quoad fieri poterit, per villas quæſtus gratia non euagentur, minus in eleemoſynis quotidianis corrogandis ita occupentur, vt literas condiſcere, vel artes ſolitas prætermittant.

Ijſdem Protectoribus perſuadeant, vt maiorum noſtrorum ordines in pueris recipiendis obſeruent, quibus cauebatur, ne quis ante ſeptennium, vel poſt decimumquartum annum admitteretur, aut qui natalibus obſcuris natus eſſet, vel qui verè vtroque parente non eſſet orbatus. Qui verò Protectoribus nullis ſubduntur, hæc inuiolabili lege irrefragabiliter ſeruabunt, & cumprimis ſtudebunt, vt ad eleemoſynas corrogandas quàm rarò quoad fieri poterit, mittant.

Oeconomi partes erunt, pueros ætate minores ad culpas accuſandas conuocare, caput ijſdem abluere, & pedes; vngues tum pedum, tum manuum abſcindere, linteamina, & femoralia quoties opus erit, immutare. Proſpicient diligentiſſimè, vt decenter nitidi, & in ipſa veſtium paupertate culti, & domi ſint, & in publicum prodeant, minimè vmquam ſordidati, vt laciniosis nimium veſti-

bus non vtantur, nec nudas suras, vel pedes ostendant, sed bene calceati videantur.

Prætereà sedulam nauabit operam, vt illorum dormitorium, cęteraque loca, præsertim vbi officina exercetur, sint munda, scopis perpurgata, quotidie sternantur grabata, palea sæpius è stramentis permutetur, statisque temporibus renouetur. Quotidiè vel ientaculum, vel antecænium præbeatur. Noctem per totam lampades in dormitorio ardeant: singulos lectos habeant: ægrotis præcipua charitate deseruiatur.

Iam verò Rector vni etiam huic curæ maximè inuigilabit, vt notet si quos prauæ indolis ex grandioribus deprehendat, qui disciplinæ & institutionis sint contumaciores, quàm vt flecti, & bene institui possint, vt illos quantocyus exturbet.

Pueri ipsi sępius interdiu operi struendo dum vacabunt, hymnos canent, Litanias, vel Psalmos.

Siquis externorum officinam ingredietur, statim Orphani more prisco Beatam Virginem consalutabunt salutatione Angelica: quòd si ille fuerit Prælatus, vel grauis aliquis vir, aut dignitate aliqua insignitus Ecclesiastica, genuflexi benedictionem petent.

Verùm vt tam pij operis iure quasi hereditario à nostro Institutore gloriosæ, & piæ memoriæ Hieronymo Aemiliano nobis traditi vigeat apud nos exacta obseruantia, de Orphanorum regimine peculiarem libellum compositum, in quo pleniùs, ac fusiùs singillatim omnia traduntur, quæ ad hoc religiosum institutum augendum, & diù conseruandum spectant, singuli Rectores habebunt, cuius à præscriptis ne latum quidem vnguem recedent.

Vt in omnibus nostris Domibus priuatis in locis de-

cerni-

cernimus Venerabilis nostri Institutoris Hieronymi Aemiliani effigiem pictura adumbratam, ad piam illius memoriam conseruandam, & deuotionem excitandam eminenti loco erigi; ita Orphanotrophia, maximè quæ ipse instituit, iubemus, vt Parentis sui memoriam conseruent; in dormitorio, in officinis, & Refectorio eiusdem Venerabilis Patris nostri effigiem depictam habeant.

De Puellis Orphanis regendis.

C A P. X X I.

PVellarum ordinarij confessores non à Superiore locali, sed à Definitorio, vel à Præposito Generali deligentur, vt in capite de Confessarijs; ætate ad minus illi sint annorum trigintaquinque, vitæ probitate, morum pietate, ac prudentia senes.

Ad crates confessionarij, non alibi confessiones excipiant; crates verò ipsæ lamina ferrea perforata, quæ amoueri non possit, sint munitæ, & nigro velo obductæ, adeò vt puellarum facies minimè dignoscatur, aut videatur.

Clausuram non ingrediantur, preterquàm in casibus à iure permissis, & Sacramentorum administrandorum gratia, & tunc quidem non aliò diuertent, non domum circuibunt, ni vrgens necessitas aliqua aliud suadeat.

Ab his munera nulla accipient, non pecuniam ad celebrandas Missas, vel quidpiam aliud, etiamsi deuotionis, & pietatis causa sine venia Priorissæ.

Si pernoctare contigerit ob nimiam locorum distantiam, dato salutationis Angelicæ vespertinę signo, ad proprium commeabunt cubiculum.

Omnes verò æquè diligat Confessarius, & omnes æquè ignoret. Citra triennium Confessarij munus non obibit eodem loco, ni aliter Definitorium decreuerit.

LIBER QVARTVS

DE CVLPIS ET POENIS.

C A P. I.

CVm noſtræ Conſtitutiones nullius culpę reatu, niſi in caſibus ſuo loco expreſſis, obligent, æquum eſt vt transgreſſores aliqua ſaltem pœnâ afficiantur, ne legum inſtitutione contenti illarum obſeruantiam negligamus. Illud in primis admonendum occurrit, quod ſi alicuius notabilis culpæ reus aliquis conuictus fuerit, cui nulla ſpecialis vel à iure, vel à Conſtitutionibus pœna ſit impoſita, tunc Superior loci, adhibito conſilio duorum, vel trium Seniorum, à præuaricatore fratre pœnam, quam cenſuerit æqualem delicto, repetat. Qua in re ſemper habebitur ratio quantitatis, qualitatis, malitiæ, conſuetudinis, facilitatis in delinquendo, proteruiæ, pertinaciæ, mali exempli, ſcandali, & huiuſmodi, ita vt pœna infligatur maior, vel minor, pro varietate harum circumſtantiarum; ex his enim culpa alioquin leuis euadit vel media, vel grauis &c. Quando verò in Conſtitutionibus pœna indicitur priuationis ab officio, etiam ipſo facto incurrenda, propter multa incommoda, & pericula quę inde plerumq; ſolēt emergere, declaramus tranſgreſſores ad eam luendam non ſtatim teneri, niſi cum in Comitijs Generalibus, vel Definitorio conuicti coram Superiore fuerint, & lata ab eodem ſententia comdemnati. Quoties autem quis priuabitur profeſſionis loco, & voce, tunc ille in nulla electione ſuffragium feret, nullum gradum in Congregatione obtinebit, in Capitulo collegiali vltimus poſt Clericos profeſ-

ſos culpas ſuas accuſabit, nec intererit cum ceteri profeſſi ſe accuſabunt, vltimumq; locum, vbicumq; fuerit, poſt illos habebit: Laicus profeſſionis loco priuatus, poſt laicos ſimiliter. Declaramus inſuper eum puniendum, penſatis ſupradictis circumſtantijs, qui cum habuerit locum accuſandi quempiam coram ſuo Prælato, & non accuſauerit, poſtea malitioſè per literas eum diffamat, vel alio modo; nec non eum, qui alicui crimen obiecerit, de quo aliàs pœnitentiam egerit, & ſe correxerit. Ceterum culpas, & pœnas omnes in quinque diſtribuemus differentias ſcilicet in Leuem, Mediam, Grauem, Grauiorem, & Grauiſſimam, ita tamē infra pœnæ ſtatuētur vt nihilominus ſciant omnes pœnam augeri in omnibus, cū culpa notabiliter augeatur.

De Pœna Leui.

CAP. II.

CVlpę leui, qua quis in leuibus, vel leuiter à Conſtitutionum noſtrarum obſeruatione deflectit, pœna leuis correſpondeat. Imponatur ſcilicet aliquis pſalmus recitandus, vel oratio, vel terrę deoſculatio, & huiuſmodi petita prius genibus flexis venia.

Hac pœna punietur, qui perperā legerit, vel occinuerit ſine ſcandalo; qui immoderatiùs riſerit; biretū nō rectè capite cōpoſitū geſtauerit; caput non aperuerit ſuis maioribus; ſolutè per clauſtra curſitarit, & minus religioſè; qui contra Conſtitutionem de habitu leuiter deliquerit; tardiùs in Chorum, Triclinium, Capitulum conuenerit; qui in infirmis, vel ætatę ſenioribus inuiſendis vel iuuandis leuiter negligens fuerit, & huiuſmodi. Qui etiam ſecundæ menſæ vltra primam interfuerit, vel aliquid ſine venia alteri porrexerit,

vel

vel silentium violarit in Tricli nio ; nisi forte Superior iudicauerit aliqua ex causa, media poena has postremas culpas puniendas.

De Pœna Media.

CAP. III.

OB mediam culpam, qua quis medio modo inter graues, & leues Constitutionum transgressiones offendit, pœna etiam media plectatur, genibus flexis, scilicet, petita venia imponatur comestio in terra; exosculatio terræ penes cuiusque accumbentis pedes; vel si Sacerdos ex maioribus præcipuè, legere ad mensam iubeatur; & huiusmodi.

Hac pœna punietur, qui in diuinis officijs immoderatè se geret; qui leuitatem animi visu, vel gestu ostendet; qui aliud canere, vel legere præsumet, quàm vsus Chori communis solet; qui turpem sermonem, vel vaniloquium in vsu habebit; qui iniunctum sibi munus negligenter, tardè, immundè obibit; qui genuflexiones, & reuerentias debitas in Choro, in Ecclesia, & coram suis Superioribus prætermittet; qui intra claustra, & multò magis intra cubiculum quempiam ex secularibus introducet contra ordinationes Prępositi Generalis, Visitatoris, & Superioris particularis; qui ad mensam excandescet, aut nimis ritabit; qui orationi mentali non intererit; qui contra Constitutionem de habitu mediocriter delinquet; qui circa infirmos, vel Seniores visitandos, & iuuandos mediocriter erit negligens; qui Itinerarium non recitabit, vel in aduentu Ecclesiā illicò ad orandum non ingredietur, & huiusmodi; qui etiam in consuetudinem ducet tardiùs conuenire in Chorum, in Triclinium, & Capitulum; qui ieiunia à nostris Constitutionibus

tionibus indicta violabit ; & qui hoſpites erunt inobedientes, & minus obſeruantes, & qui Superiores negligentes circa hoſpites ; ni fortè iudicetur graui pœna has poſtremas culpas eſſe puniendas.

De Pœna Graui.

CAP. IV.

GRaui culpæ, qua quis vel in grauibus, vel grauiter contra Conſtitutiones noſtras peccat, pœna etiam grauis imponatur, vt diuerberare ſe, dum ceteri orationi mentali vacant, recitantibus interea Patribus ps. 50. Miſerere ; ſilentium aliquot diebus ſeruare ; vltimum locum in ſedendo tenere per aliquot dies ; comedere bis in terra abſque obſonio, & huiuſmodi ; niſi forte reus, vt infra, ſponte veniam peteret, tunc enim mitiùs cum eo agendum, & vnica tantum comeſtio in terra abſque obſonio imponenda.

Hac pœna punietur, qui procaciter coram ſecularibus contenderit ; qui ſuo muneri perfungendo deerit, vt inde ſcandalum, vel magna admiratio ſecularibus oboriatur ; qui iniuria laceſſitus iniurioſo nihilominus veniam petenti offenſam non condonarit ; qui cum ſecularibus, vel cum ſuo Superiore contenderit ; qui eo deuenerit conſuetudinis, vt malitioſis verbis vtatur contra pudicitiam, vel pacem ; vel iurare conſueuerit ; vel ieiunia fregerit à noſtris Conſtitutionibus indicta eo vſu, qui ſit interpretatiuus contemptus ; qui cellam, veſtem aliquam, librum, vel huiuſmodi cum alio, ſine licentia commutarit ; qui indumenta, libros, vel aliud, quod alteri ſit conceſſum abſque venia acceperit, vel ex communibus officinis abſtulerit ; qui dato ſigno

eundi cubitum alicubi ſine venia ſe continuerit, in cellam alterius ierit, vel alium in ſuam receperit, mora temporis notabili; qui minus pudenti alloquio cum mulieribus, vel iocoſo reprehenſibilis extiterit, vnde mala ſuſpicio oriri poſſit; qui aſſueuerit orationi mentali non intereſſe; qui circa confeſſionem, & ſacram communionem Conſtitutiones violauerit, qui Conſtitutionem de Confeſſarijs & Parochis tranſgreſſus fuerit; Superiores, qui non curauerint id quod ſtatutum eſt de Concionatoribus, & Lectoribus obſeruare; qui tranſgrediuntur ea, quæ ſancita ſunt de cantu, & ratione ſtudendi; qui communi diuerberationi non interfuerit, vel non ſe diuerberauerit; Superior qui non ſtuduerit caſtigationem corporis per diuerberationem exerceri, vel exhortationem ante illam prætermiſerit, aut loco exhortationis aliquā breuiuſculā lectionē prælegi non iuſſerit;&qui ſemel ſaltem in hebdomada popinam nō inuiſerit, ciboſque non luſtrauerit, & circum menſas non ierit, vt portiones recognoſcat; qui pictantiam præter communem ſine facultate aſſumpſerint; qui cum ſecularibus, non impetrata venia, comederint, qui in infirmorum vel Seniorum cura grauiter ſegnes fuerint deprehenſi; Superiores, qui in recreandis ſubditis negligentiores erunt, vel eoſdem cum viderint iacturam temporis facere euagando per clauſtra, non correxerint; qui notabiliter otio torpere conuicti fuerint; qui Conſtitutionem de literis ſcribendis non ſeruauerint; qui in præiudicium alterius ſuum locum in ſedendo non tenuerint; qui in electionibus ſuffragium quod in quēpiam fert, alteri indicauerint; qui definita in Definitorio, vel Comitijs carpere auſi fuerint; qui debita charitatis officia, vel in ſalutando, vel alloquendo, ſi aliqua ſimultas fuerit oborta, intra vnius diei ſpatium non exhibuerint; qui de mulierum familiaritate ſuſpecti fuerint, vel adoleſcentulos in cubiculum introduxerint; qui in Capitulo Colle-

 giali

giali immodestè se gesserint,& imposito illis silentio, non obedierint; Ianitor transgrediens Constitutionem de literis tradendis vt cap.5. lib. 3. §. Meminerint. Detractores hospites vt cap. 15 .lib.3. §. Caueant; Hospites qui aliò diuerterint, quàm ad nostra domicilia, vel pernoctauerint, vt cap. decimoquinto, §. Vbi fuerint; qui alio vti sigillo, quàm communi Domus ausi fuerint, & huiusmodi; qui etiam litem inchoauerint sine licentia; qui circa cultum, & nitorem Ecclesię,& supellectilis eiusdē negligentes fuerint; Superiores qui circa orationem mentalem segnes vel in se, vel in alijs deprehenderentur; qui silentium in Choro nutibus vel risu, ne dum verbis violauerint; qui susurrones, & multo magis qui detractores erunt; qui in infirmarum mulierum, aut matronarum insignium confessionibus intra priuatas illarum domos excipiendis nostram Constitutionem non obseruauerint; Superiores, qui segniores fuerint in inuestigandis accessibus egredientium, vel sine cōpetenti numero Collegium reliquerint, vel non curauerint vt Parochus, vel alius, illius vice domi resideat ad vitāda scādala,& saluti animarum opportunè consulendum; nisi existimetur grauiori pœna in his delinquentes mulctandos esse; quod idem statuimus de ijs, qui Constitutionem de habitu grauiter violauerint iudicio Præpositi Gen. vel Visitatoris vel cuiusuis Superioris cū interuētu duorū ex Senioribus.

De Pœna Grauiori.

C A P. V.

GRuior culpa, qua quis paulò amplius delinquendo accedit propè ad grauissimam, grauiore etiam pœna puniatur, imponendo, scilicet delinquentibus, vt per aliquot dies in cubiculo se contineant, solum

in

in Chorum ad psallendum horis canonicis singulis, & in Triclinium conueniant, & in Choro vltimi sedeant, vel in Triclinio pane, & aqua solum reficiantur. Nemo dum hac poena expiant delictum, eos alloquatur, vel consuetudine eorum vtatur, excepto aliquo ex prudentioribus, pro consolatióne spirituali, ne labantur in desperationem.

Hac poena punientur, qui peruicaces præceptum in virtute sanctæ obedientiæ à Superiore indictum transgressi fuerint; qui in ebrietatem inciderint; qui aleis, vel taxillis luserint; qui aliquid suo Prælato occultarint, præsertim, si pecuniam sibi retinuerint, vel expenderint, vel rem notabilem ab aliquo acceptam non præsentauerint; qui res graues, quæ in Congregationis præiudicium, vel alicuius ex Nostris vertunt, secularibus reuelauerint; qui alicui ex fratribus infamiæ notam inusserint; qui in impudicis tactibus, osculis, & similibus inhonestis actibus tum domi, tum multo magis extra fuerint deprehensi; qui arma tulerint, vel armis minati fuerint alicui; qui scandalum notabile, vel domi, vel foris commiserint; Superiores qui non curauerint legi Constitutiones, & Decreta Superiorum, arbitrio tamen Pręposti Generalis, vel Visitatoris; qui nouum locum acceptarint cõtra præscriptum nostrarum Constitutionum (præterquam quod irritum erit, quod effectum fuerit) qui fabricam inchoauerint, aut cõmutarint sine facultate Præpositi Generalis, dummodo opportuna sit, hac poena per tres dies puniãtur; qui alienarint, vel mutarint stabilia sine debita facultate, præter poenas à iure inflictas; qui neglexerint, iuxta Constitutionem de Missarum celebratione, agere in Choro, vel Ecclesia, quæ sui sunt muneris, vel ordinis, vel specialiter, vel generaliter, si inde scandalum, vel admiratio secularibus oriatur; qui officiũ diuinum, vel Pater noster respectiuè non recitare conuicti fuerint, tot diebus, quot fuerint negligẽtes, grauiori poena puniãtur, &

Præpositi, qui Officium integrum recitari, & decenter nō studuerint; qui in cōsuetudinem duxerint transgredi Constitutiones circa Confessionem, & sacram Communionem, ac de Confessarijs, & Parochis: qui Vocales Capituli Generalis Constitutionem de habitu violarint; qui causam iustam se habere putātes ieiunia de præcepto Ecclesię indicta fregerint, licentia minimè petita à Superiore, qui nullam excusationem in hoc admittet; qui Superior Capitulum ad culpas accusandas iuxta Constitutiones vt in plurimum non coegerit; & contractum fecerit sine Capituli Collegialis consensu; qui iter arripuerit, vel alium miserit contra Constitutionem de Viatoribus; qui Superior necessaria pro itinere non suppeditarit; qui aliquid sine licentia aliò asportarit præsertim libros alicui Collegio destinatos; qui præstituto sibi termino iter aggressus ad locum suum non perueneerit, nisi rationabilis causa excusarit; qui in literis scribendis alicui detraxerint; qui Superiores in hospitibus charitate, quæ eos decet complectendis paulò negligentiores extiterint; & ipsi hospites admodum excedentes circa obedientiam, & obseruantiam Constitutionum ad iudicium Patris Generalis, vel Visitatoris, vel Superioris cum consilio tamen Seniorum grauiori pœnæ subdentur; Superiores, qui tempore Comitiorum Generalium, vel Definitorij à sua residentia abfuerint, vel subditos aliò proficisci permiserint, vt in lib. 3. cap. 1. §. A propria residentia.

De Pœna Grauissima.

CAP. VI.

GRauissimæ culpæ reus, qui scilicet in grauissimis, vel grauissimè spectatis circunstantijs, de quibus cap. 1. ius violat Constitutionum; grauissimæ

etiam

etiam pœna plectendus erit; cuiusmodi est detrusio in carcerem per aliquod tempus, vel priuatio vocis actiuę, & passiuæ, vel loci, & præcedentiæ, vel inhibitio vsus nouarum vestium ad tempus, vel plures ex istis pœnis simul coniunctæ infligantur, quę pœna sit duratura maiori, vel minori tempore iuxta rationem delicti, scandali, corrigibilitatis, occasionis, & huiusmodi.

Hanc pœnam subibit incorrigibilis, hoc est qui occalluerit in delictis; qui iniunctas pœnitentias detrectauerit; qui in adulterium, vel fornicationem(quod Deus auertat) inciderit; qui apostatauerit; qui pecuniam in quantitate apud se habuerit, vel apud alium proprio nomine habere compertus fuerit; qui alium percusserit incidendo in excommunicationem à solo summo Pontifice absoluendam; qui infamauerit vniuersam Congregationem apud Prælatos, vel Principes; qui clausuram violari permiserit; qui mulierem in clausuram regularem introduxerit, prçter quam quod erit excommunicatus, etiam carceri mancipetur ad arbitrium P. Generalis; qui appellarit à correctione regulari; qui de crimine aliquo P. Generalem accusauerit, & stellionatus reus deprehēsus fuerit; Cancellarius, & Præpositus S. Maioli, qui violarint Constitutionem latam lib. 1. cap. 17. §. Duplicem; qui accusauerit, vel in iudicium vocarit aliquem coram alio, quàm nostris Superioribus, vt lib. 2. cap. 9. §. Aliquem; qui contumax in obedientia declarabitur, præter excommunicationem ipso facto incurrendam, vt ibidem §. Quicumque.

Declaramus autem, hæc omnia facienda esse sine secularium interuentu; excepta necessitate inuocandi brachium seculare ad trudendum aliquem in carcerem. Solius verò P. Generalis potestas sit grauissimas culpas punire, & de illius facultate Vicarij Generalis, Visitatorum, vel Commissariorum. Processus, & sententias fideliter in archiuio

S. Maioli

S. Maioli Papiæ asseruari mandamus.

Item declaramus quòd si aliquod crimen quis commiserit apud leges maxima dignum pœna, ille in carcerem trudatur, nec inde, nisi plenis Comitijs gratiam impetrarit; eximatur. Nullatenus verò erunt tolerandi rebelles, procaces, inobedientes, contumaces, sed grauiter puniendi à Superiore loci, consilio duorum, vel trium ex Senioribus adhibito, nisi à Patre Generali aliud de ijs statuendum esset ob culpę grauitatem.

De quibusdam pœnis specialibus.

C A P. V I I.

QVoniam in moralibus particularia magis mouere dicuntur, quasdam pœnas particulares his subrogabimus, vt inde facile sit deducere, quid agendum sit, cum culpæ particularis pœna in Constitutionibus conceptis verbis non est præscripta. In primis igitur sub pœna excommunicationis sancimus, ne quisquam contra Superiorem, siue Generalem, siue specialem aliquem loci conspiret, aut factionem aliquam prauam, & dolosam concitet, vel aliquid citra honestum, & iustum moliatur, ob quod vel in nostra Congregatione generatim, vel in aliquo particulari ejusdem loco factiosæ partes excitentur.

Eamdem excommunicationis censuram indicimus ijs, qui iureiurando fidem obligant, & spondent sibi inuicem opitulaturos, & in dissensionibus vni ita parti pertinaciter adhæsuros, vt numquam oppignoratam fidem fallant.

Qui inter psallendum in Choro mentis euagatione errorem commiserit leuem, si sit Clericus, deosculetur terram, si Sacerdos manu idem peragat. Si autem notabilis

lis erit error, petat veniam in Choro absoluto officio, vel in Triclinio.

Qui alicui confessario præterquam ex Nostris, & designatis à Superiore confessus fuerit peccata, silentium tribus diebus seruet, continendo se in cubiculo, vel alia arbitraria pœna ei irrogetur, & reiteranda erit ab illo confessio; Confessarius verò non deputatus confessionem audiens comedat in pane, & aqua vno die.

Si studentes nostri extra Claustra studiorum prætextu aliò diuerterint, pro prima, & secunda vice humi comedant panē, & aquam, pro tertia per mensem domi se contineant; si demum non resipuerint, vel studendi priuentur commoditate, vel arbitrio P. Generalis, vel Visitatorum puniantur.

Qui à Choro, vel à quacumque alia Congregationis obseruantia exempti eo tempore operam studijs non dederint, eo ipso sint exemptionibus priuati.

Canere cantilenas minus conuenientes, aut honestas deprehensi, pro quacumque vice veniam petant in Triclinio, & ad arbitrium puniantur.

Qui chorum fuerit ingressus sine nostræ Congregationis habitu, vel se publico in loco claustri videndum secularibus præsertim exhibuerit, petat veniam, & ad arbitrium puniatur.

Si quis mulierem in nostra Orphanotrophia introduxerit, puniatur ad arbitrium P. Generalis examinata causa, & occasione.

Qui Superioris particularis rationabili voluntati non acquieuerit, prima vice comedat in terra; secunda vice, in medio Triclinij in solo pane, & aqua; si vero contumacior perstiterit, puniatur ad arbitrium Superioris de consilio duorum ex Senioribus.

Deprehensus pecuniam expendere, aut retinere quicum-

que

que nullius adminiſtrationis munus obeat ; prima vice ; dummodo quantitas pecuniæ decimam partem aurei non excesserit, comèdat in terra ; ſecunda vice octo diebus cella ſe continens ſilentium ſeruet ; ſi autem quantitas pecuniæ fuerit notabilis, vel ſępe in hoc offenderit, ſi ſit Vocalis vltra prędictam pœnam, ſit etiam pœnæ à Concilio Tridentino proprietarijs conſtitutæ obnoxius, & illi tertius addatur annus priuationis ; ſi Clericus ſit non Vocalis, priuetur loco per biennium ; laici per menſem, cum ceteri mentali orationi vacabunt ; ſe loris diuerberent bis in hebdomada :

Si quis conuictus fuerit de vitio indicibili, carceri mancipetur, & alijs pœnis arbitrio P. Generalis puniatur.

Qui ſine ſocio fuerit domo egreſſus, vel non petita benedictione, per menſem domi maneat, vel ad arbitrium det pœnas.

Qui poſt ſalutationem Angelicam veſperi, abſque licentia, & neceſſitate extra domum manſerit, tribus diebus petat veniam, dum Patres menſæ accumbunt.

Si quis negligentia Superioris, è vita exceſſerit ſine Eccleſiæ Saramentis, ieiunet Superior in pane, & aqua Patris Generalis arbitrio.

Qui gerere arma prohibita, vel apud ſe habere compertus fuerit, ob quod in ſuſpicionem veniat de offendēdo aliquē, conijciatur ipſo facto in carcerem per ſex menſes, vel per annum domo pedem non efferat ; adiuncta pœna comeſtionis in terra qualibet ſexta feria.

Qui domicilium aliquod religionis petens, antequam ò ſe conferat, ad domum ſecularium diuerterit, vel etiam aliorum religioſorum, tribus diebus ieiunet in pane, & aqua ſi pernoctauerit; ſi verò tantum comederit, vno die eādem pœnam ſuſtineat.

Quicumq; aliquid habuerit, quod Superiori loci, à quo receſſit

recesserit, non ostenderit, aut singularum rerum; quas secum attulerit, schedulam non habeat eiusdem manu obsignatam, aut sigillo, & Superiori, ad quem accesserit, non præsentauerit, illarum rerum vsum amittat.

Qui vnius Collegij libros ad aliud sine facultate Patris Generalis in scriptis obtenta detulerit, ieiunet tribus diebus, in pane, & aqua.

Si quis à nostra Congregatione, post votorum nuncupationem recesserit, alterius Religionis habitum sumens, & postea pœnitens facti reuerti voluerit, tamquam Nouitius recipiatur, viliaque ei imponantur munera obeunda.

Qui dato signo silentij vesperi, vel meridie æstiuo tempore illud non seruarit; vel qui silentium notabiliter in Choro, aut in Triclinio sine licentia violarit; petat veniam in Triclinio, & ad arbitrium puniatur.

In culpis accusandis si quis cum fratre altercatus fuerit, vel petulantiùs Superiori responderit, petat veniam, & puniatur Superioris arbitrio.

Quicumque de Superiore, vel de fratre aliquo sciuerit aliquid, quod in illius animæ præiudicium, aut Congregationis scandalum emergat, nisi eum monuerit, & vbi monitus fuerit, & corrigi neglexerit, non indicauerit, pœnam sustinere cogatur, quam à delinquente Superiores exigerent, vel ad arbitrium aliter puniatur.

Si quis alicui crimen obiecerit, asserens se illud scire, vt qui fuerit conscius, vel particeps criminis, quod etiã iureiurando confirmet, & obijciens spectatæ vitæ, laudabilis conuersationis vsque ad id tempus extiterit, cui verò obijcitur, aliquid simile aliàs perpetrarit, & apud graues viros in Congregatione parum cõmodam opinionem sui habuerit, licet non sit ad pœnam procedendum, erit is nihillominu de loco, vbi id commisisse dicitur, remouendus.

Qui ſine licentia literas conſcripſerit, aut receperit, per ſex menſes nullas poſſit, aut ſcribere, aut recipere, vel vna vice diuerberatio illi iniungatur, aut alia pœna arbitrio Superioris plectatur.

Qui conuicti fuerint ambijſſe, vel pactiones inijſſe inuicem tam pro ſe, quàm pro alijs, in quacumque electione incidant in pœnas inflictas lib. 1. cap. 5. §. caueant.

Superiores nimium auſteri, qui modum in correptionibus exceſſerint, à Patribus in Comitijs generalibus coerceantur, vel à Viſitatoribus omnino.

Qui irato animo alicui comminatus fuerit, & inde ſcandalum notabile ſequutum fuerit, tribus diebus in pane, & aqua ieiunet; ſin ſecus, vno tantum die.

Quicumque alienauerit, oppignorauerit, vel obligauerit Calicem, vel Crucem argenteam, & huiuſmodi, pretium duorum aureorum excedentia, ſine licentia P. Generalis vel Capituli Collegialis, & ſine vrgenti neceſſitate per biennium officio priuetur. Si verò alienauerit, vel permutauerit ſtabilia, & damnum ſit magnum, puniatur prout in iure, & alijs pœnis arbitrio P. Generalis.

Qui bona Congregationis, quorum eſt adminiſtrator, notabiliter neglexerit; vel obligationes ſpirituales Miſſarum, & Anniuerſariorum implendas non curauerit, deponatur ab officio. Qui verò libros cuiuſcumque valoris alienarit, iuxta rationem delicti, puniatur priuatione vocis, vel loci.

Superiores, qui Excommunicationis ſententiam tulerint, non tamen in ſcriptis; pœnam grauioris culpæ ſubeant.

Quicumque aliquid notabile apud ſe depoſitum acceperit, vel aliquod munus, nec illud ſpatio vigintiquatuor horarum Superiori oſtenderit, vel contra illius voluntatem retinuerit, ad annum ſuffragij ius quodcumque amittet. Superior quilibet particularis, qui notabili incuria, vel quoad propriam perſonam, vel quoad ſubditos Conſtitu-

tiones

tiones non obſeruauerit, vel Superioris dignitate priuetur, vel alia pœna puniatur, vt præuaricationis ratio poſtulabit.

Idem ſi Conſtitutiones legi ſtatis ſuis diebus non curarit, vbi admonitus, & correptus perſeuerauerit in negligentia.

Idem fabricam inchoans, vel immutans ſine licentia P. Generalis; ſi illa euadat inutilis, vel damnoſa valdè.

Superior, qui fuerit notabiliter negligens in nitore, & cultu Eccleſiæ, eiuſque ſupellectili, puniatur ſeuerè à Patribus Definitorij.

Qui ſibi deſignatum domicilium adire recuſauerit, vel munus impoſitum detrectare pertinaciter, & obedientiæ auſus fuerit reluctari, is ſi Vocalis Capituli Generalis ſit, ad arbitrium puniatur; ſi verò non fuerit huiuſmodi Vocalis, priuetur quocumque iure ſuffragij in eo loco, in quo degit.

Violatores Conſtitutionis de Paupertate, præter pœnam à Conc. Trid. proprietarijs inflictam, ſeuerè etiam puniantur, vel prorogando pœnam Concilij, vel priuando eos loco, vel veſtes nouas prohibendo, vel carceri mancipando, iudicio P. Generalis, vel Viſitatoris, vel Commiſſarij deputati: Et quicumque Superior dederit anſam hac in re, non ſuppeditando neceſſaria, eamdem pœnam, iudicio P. Generalis, vel Viſitatoris pendet. Nulli verò, in materia paupertatis, pœna remittatur, niſi à P. Generali, vel in Comitijs, vel Definitorio. In pœna autem infligenda penſabuntur circumſtantiæ, prout de pœnis in communi. Nulla tamen huiuſmodi culpa, vel minima, ſit à pœna prorſus immunis. Pœnā etiam proprietatis incurrent ipſo facto Patres in Comitijs Generalibus, qui violarint Conſtitutionem lib. 1. cap. 21. §. Quilibet.

Cum aliquis ſuſpectus fuerit de caſtitate, agatur cum eo vt lib. 2. cap. 10. §. Non ſolum, & cap. 12. §. Cum mulieribus.

Qui mulierum domos ſine ſpeciali licentia adierit, vel aliò diuerterit, ac facultatem obtinuerit, præſertim contra

mentem Superioris, is domo se contineat quindecim dies pro singula transgressione.

Qui Claustra Mulierum, vel Puellarum fuerit ingressus præterquam Sacramentorum administrandorum gratia, priuetur voce actiua ad arbitrium Definitorum, & P. Generalis: qui verò clausuram Monialium, præter poenas à Iure inflictas eamdem pœnam subeat; si autem earumdem confessiones audierit absque fenestella in nostris Constitutionibus præscripta, is priuetur suffragio, vel loco respectiuè ad annum.

Procurator Generalis, qui literas vllas sine expresso mãdato procurauerit, puniatur vt li. 1.c.16.§. In virtute autẽ &c. vel si scripturam aliquam ex Archiuio abstulerit, puniatur, vt ibidem §. Eumdem.

Cancellarius malitiosè aliquid immutans verborum in Actis Capituli Generalis, subiaceat pœnæ excommunicationis, vt lib. 1. cap. 17. §. Duplicem.

Clerici professi, qui officium non recitarint, peccati lethalis pœnę sint obnoxij vt lib. 2. cap. 3. §. Clericos.

Qui Reliquias sacras ausi fuerint surripere, poenę excommunicationis subiacebunt latæ sententię, vt lib. 2. cap. 5. §. Pręcipimus.

Qui Energumenos adiurare sine licentia ausi fuerint, poenam suspensionis subeant, vt lib. 2 cap. 9. §. Nemò.

Peruicaces, & contumaces erga Superiorem, nullis honoribus decorentur, & alijs poenis reprimantur. vt lib. 2. c. 19. §. Qui animo.

Qui dicta vel acta in Capitulo Collegiali retulerit, priuetur voce, & alijs poenis, vt lib. 2. cap. 16. §. Qui in Capitulo.

Superiores, qui ære alieno domum oppresserint, deponantur, vt lib. 3. cap. 1. §. Nullum.

Laici, qui sacris Ordinibus contra Constitutionem initiar

tiari tentarint, præter excommunicationem latę sententiæ, quam incurrent, carceri etiam mãcipentur; vt lib.3. cap.8. §. Norint autem. Superiores verò promouentes, voce actiua, & passiua priuentur, vt in eodem lib. 9. §. Superiores.

Qui facultate non obtenta, libros ediderint, pœnæ priuationis cuiusque suffragij & dignitatis etiam subiacebunt, vt lib. 3. cap. 10. §. Prohibemus.

Cum studentibus, qui contumaces erunt, & segniores in studijs, agatur vt in Constitutionibus lib.3.c.10.§.& siquis.

Qui literas P. Generalis, Vicarij Generalis, Visitatoris, vel Procuratoris Generalis intercepterit, pœnę excommunicationis latæ sententiæ subiaceat, & carceris ad sex menses; qui verò Consiliariorum, & Definitorum, puniatur prout in lib. 3. cap. 17. §. Quicumque.

Cum Apostatis, & eijciendis à Congregatione agatur iuxta Decreta Sacræ Congregationis Concilij sub S. D. N. PP. Vrbano Octauo edita anno Domini 1624. Qui verò eijciuntur, omni priuilegio Congregationis nostræ priuati censeantur, habitu nostro spolientur, nostra non adeant loca, nec cum Nostris vllam habeant societatem, aut commercium; quinimo deuitentur omnino, tamquam putrida membra à reliquo corpore præcisa.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes Antonius Procurator Generalis nominibus prædictis, præinsertis Constitutionibus pro perpetua illarũ subsistẽtia, & inuiolabili obseruãtia Apostolici nostri muniminis firmitatẽ per Nos adijci summopere desideret, Nobisq; propterea humiliter supplicari fecerit, vt in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos inuiolabili

earumdem Conſtitutionum obſeruationi, quantum Nobis ex alto conceditur, conſulere, nec non dictum Procuratorem Generalem, ac totam Congregationem prędictam ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & illorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorumdem fratrum conſilio præinſertas Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, omneſque, & ſingulos tam iuris, quã facti quantumlibet ſubſtantiales defectus, ſi qui in illis interuenerint, ſupplemus; Decernentes eaſdem Conſtitutiones, necnon præſentes literas ſemper, & perpetuò valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore; nec non in dicta Congregatione ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inuiolabiliter ſub pœnis in eiſdem ſtatutis comminatis obſeruari, & adimpleri debere, ac quoſcumq; eiuſdem Congregationis Superiores, Presbyteros,

ros, & perſonas ad plenariam illorum obſeruationem omnibus iuris, & facti remedijs cogi, & compelli poſſe, ſicque per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritũ, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate ſcienter, vel ignorãter cõtigerit attentari: Nõ obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis alijs dictæ Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis ipſius Congregationis Superioribus, Presbyteris, & perſonis huiuſmodi, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiã derogatoriarũ derogatorijs, alijſq; efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſq; & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorũ quomodolibet cõceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorũ omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſq; contrarijs quibuſcumq; Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Anulo Piſc. die 5. Maij 1626. Pontificatus Noſtri Anno Tertio. Locus ✠ Sigilli.

V. Theatin.

Errata sic corrige.

Pag. 8. lin. 32. huic. pag. 14. lin. 18. seruatis. p. 18. l. 4. declarabitur. p. 20. l. 32. commendent. p. 30. l. 21. & magis. p. 33. l. 15. inchoabit. p. 39. l. 23. atque. p. 41. l. 17. in Visitatoris. p. 45. l. 10. depositioni sit locus. l. 28. & Præpositi. p. 47. l. 4. Consiliariorum. l. 5. Capituli. p. 49. l. 14. proferant. p. 51. l. 28. honore. p. 52. l. 27. fuerit. p. 57. l. 4. satis. p. 61. l. 22. pertinent, ipsum non esse. l. 29. Generali. p. 63. l. 31. Generalis. p. 64. l. 24. consensu. p. 65. l. 22. mittenda. p. 67. l. 17. propositiones. l. 30. ordo. l. 31. Congregatione. p. 71. l. 29. Cancellarius. p. 72. l. vltim. quamquam. p. 73. l. 24. Patres. p. 88. l. 21. incurrenda. p. 89. l. 21. ea tantum. p. 92. l. 13. Sanctissimum. p. 95. l. 31. commorantibus. p. 109. l. 2. propositum. p. 110. l. 18. flexo. l. 20. facultas. p. 112. l. 7. familiaritates. p. 115. l. 7. ornamenta, Reliquiarū. p. 117. l. 19. ad audiendas. p. 119. l. 1. vel. p. 120. l. 13. attinet. l. 26. puellarum. p. 123. l. 12. Resurrectionis. p. 124. l. 20. prius. p. 134. l. 25. à Cancellario. p. 139. l. 7. ipse vero. p. 140. l. 8. tranquillitate. p. 143. l. 28. nullam. p. 144. l. 26. quam à. p. 162. l. 5. suspicio. l. 7. sustentationem. p. 163. l. 13. fundamenta. l. 21. suboleat. p. 167. l. 10. concedat. p. 168. l. 9. singula. p. 171. l. 4. quod. p. 173. l. 25. igitur. p. 175. l. 23. Italismi. p. 177. l. 7. se gesserint. l. 29. accommodata. p. 178. l. 32. Laici. p. 180. l. 31. intra. l. vlt. celata. p. 181. l. vlt. animæ. p. 182. l. 23. iubente, lecto. p. 184. l. 23. biretum. l. 28. dependente. l. 29. renunciatur. p. 185. l. 3. domi, vel foris. p. 186. l. 21. decreuerit, &c. fecerit. l. 32. impetrarit. p. 189. l. 16. exequatur. p. 191. l. 7. tam. p. 192. l. 5. Præposito. p. 193. l. 6. aliquando. p. 194. l. 1. siue. p. 206. l. 13. augetur. l. 30. Senioribus. p. 210. l. 13. infirmarum. p. 216. l. 29. eo.